MARCI ANTONII MONTAGNANAE MEDICI PATAVINI,

Et Chyrurgices in Patauino Gymnaſio olim publici profeſſoris;

De Herpete, Phagedæna, Gangræna, Sphacelo, & Cancro; tum cognoſcendis, tum curandis, tractatio accuratiſſima.

CVM PRIVILEGIO.



Venetijs, Apud Paulum Meiettum.
M D L X X X I X.

MARCI ANTONII
MONTAGNANAE
MEDICI PATAVINI,

Et Chirurgices in Patauino Gymnasio olim
publici professoris

*De Herpete, Phagedaena, Gangrena, Sphacelo,
& Cancro; tum cognoscendis, tum curan-
dis, tractatio accuratissima.*

CVM PRIVILEGIO.



Venetijs, Apud Paulum Meietum.
M D L X X I X.

CLARISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO PHILOSOPHO ET MEDICO, D. BERNARDINO PATERNO,

In florentiss. Gymnasio Patauino primum ordinariæ Theoricæ locum obtinenti.

Paulus Meietus Bibliopola Patauus S. P. D.

SVMMO semper desiderio exarsi, Vir excellentissime, & toto terrarum orbe celeberrimo, ut mihi occasio aliqua repræsentaretur, qua affectuosissimum, & deuotissimum meum in te animum significarem: ut primum verò Marci Antonij Montagnanæ Ciuis Patauini in Chyrurgia Medici clarissimi opus expectatissimum sub nostris typis in lucem prodire decreui; idq; iuxta veterem consuetudinem cuipiam Viro grauissimo, & clarissimo patrocinium committendum esse animaduerti, summopere lætatus sum, quòd hæc satis opportuna occasio mihi sub-

ministraretur, qua librum hunc tibi donarem, & amici tui incomparabili bonitate præditi tutelam committerem: cum enim non solum in Naturali, Morali, & Diuina Philosophia ab omnibus clarissimus, & consumatissimus iudiceris; in Medicina verò (pace omnium dixerim) vllum habeas neque superiorem, neque parem, ita vt complures ex longissimis etiam regionibus Patauium ad te, tanquã in natura miraculum, audiendum, suspiciendumq; aduolent; poteris vtique tuo splendore, atque doctrina Opus ipsum illustrare, & tua autoritate à calumniatoribus & detractoribus vindicare: id verò perillustre fiet, & per hominum manus clarius incedet, si te tantum, talemq; habuerit protectorem. Suscipe itaque vir præstantissime, ac humanissime è manibus nostris munus hoc, tametsi exiguum, animi tamen nostri eximij, & deuotissimi firmissimum indicium: cum verò me ipsum, meaque omnia tibi tanquam patrono singularissimo tradiderim; hoc vnũ vehementer oro, ac obsecro, vt non solum Libri, Autorisq; patrocinium suscipias, verum & me ipsum inter conseruos tuos deditissimum amplectare, cui Nestoreos annos mirum in modum exopto. Vale. Patauij 17. Ianuarij 1589.

IN-

INDEX EORVM, QVAE HOC OPERE continentur.

A

Assationis

D

I

L

Linimentum

O

P

Pirotica

Q

R

Sal

S

T

FINIS.

ERRATA INSIGNIORA SIC CORRIGITO.

Primus numerus indicat paginam; secundus lineam; a, significat anteriorem; b, posteriorem partem paginæ.

Fol 2. b. lin. 13. quid sit, leg. quòd sit. 3.a. 32. pustulas, l. pustulat. 3.b. 22. cum cholero, l. & cholera. 6.b.7. vnc.m. l. vnc.a.m. ibid. lin.12. 12 ad Glauc. l. 2. ad Glaucon. 8.b.32. vel trochiscos, l. ad trochiscos. 9.a.9 in cancer l. & cancer. 13.a. 11 non dixit, l. non dixi. 13.b.27. errarij l. horarij 14.a.11. obuiauimus, l. obuiabimus. 31. a.13 luxa l. laxa . 39.b.13. Method. l. metaphys. 43.a 2. excellentem l. per excellentem, 46.b. 31. malus l. mauis, 48.b.7. expetatur l. expectatur, 57.a. 33. semis l. senis, 64.b.7. ad assiritia l. adscititia, 67.a.1. hepate in l. in hepate, 69.a.b. spora. l. psora 69. a.15. connexum l. connexus, ibidem ulli l. nulli, eodem fol. a 22. & illis l. ex illis, 69. b.10 sed quantitate l. & quantitate, 70.a.8. ademne l. adene, ibid.19. abstructio l. obstructio, ibid.25. ex sola l. ea sola, 71 b 7. damnosa l. adenosæ, 73 a.23. os l. hos, 76. a. 19. discursorijs l. discussorijs, 77 b.9. reddit l. reddito, ibid. lin. 34. resorbitur l resorbetur, 81.a.23 possibilis l. impossibilis, 82.a.8. vtriusque l. vtrisque, ibid. lin. 16. punicis l. puniceis, 87.a.7. modi l. modo. 89.a. . thali l. tali, 90.a.5. exhibent l. exhibentur, 91.a. 35. mollire l. molliri, 92.b.20. sirrho, l. syrupo, 93.a.35. marinarum l. marinorum, 95. a. 3. lotis, l. linimentis, 96.b.2. cauta l. causa. 97.a.1. croceateo l. pistillo, ibid. lin. 3. vel mulsa l. cum mulsa, ibid. lin 4 onotribe l. crudo, ibid lin. 6. illo, l. illi, ibid. in eadem lin a quod cotilidonis l. cotyledonis, ibid. lin . vel rosaceo, l. vel ex rosaceo, 97. b.1. afferatur l. efferatur, ibid. lin. 7. sint, l. sunt, ibid. lin 11. ad famam l. attamen, ibidem lin. 14. docet l. &cæt. 98.a.4. præsertim ad l. præsertim si ad. ibidem digredere l. digredi, ibid. lin 20. emplacitate l. emplasticitate, 98.b.10. potest, l. potes, ibid. lin. 11 folij l. folia, ibid. lin. 13. non vno, l. non ab vno, 99.b 17. orbilitatim l. orbiculatim, ibid. lin. 20. qnomodo l. quoquomodo, 103.a.25. iricinini, l. ricini, 100. a.30. oxalide l. oxalidis.

MARCI ANTONII MONTAGNANAE MEDICI PATAVINI,

Olim publicè in Gymnasio Patauino, & priuatim in proprijs ædibus Chirurgicam Medicinam profitentis.

DE HERPETIS AGNITIONE, ET CVRA ET DE PHAGEDÆNÆ AGNITIONE, ET CVRA.

In nomine Domini nostri Iesu Christi hoc non modò opus nostrum incipiatur, sed finiatur.

CAPVT PRIMVM.

De Herpetis nominum expositione:

DIVERSI authores nomina diuersa huic morbo imposuêre. Græci namque omnes Herpetem dixerunt, eo quod nascatur ab Herpizo verbo Græco, i. serpo. Gal. 2. Meth. c. 2. Herpetem à symptomate nomen assumpsisse dixit, cum Herpes, quia repit, dicatur.

Ex Latinis verò Celsus ignem sacrum appellare consueuit. Ignis, quia materia eius calida & sicca, multumq; tenuis, qualis hæc est, igni æmula est, namque 2. ad Glauc. c. 1. membrum veluti deurit.

Actuarius 2. sui Methodi cap. 2. dicit, quia non secus quam ignis proxima quęque depascitur. Item Albucasis tract. 1. capit. 52. ait, corrodens non est nisi corruptio in membro, ambulans & corrodit ipsum, sicuti ignis comedit ligna sicca.

Dixit sacrum non immeritò, quia magnus est morbus au-

thore Aretæo 1. de diuturnis paſsionibus cap.4.dicente,antiqui omne magnum ſacrum dixere. Vel dicitur magnum ex eodem authore, quia humana ope tolli non queat.

Quod autem ſit magnum,his duobus modis probatur ex dictis Celſi lib.5.cap.de igne ſacro, dicentis. Propè difficillimè tollitur,quod accepit ab Hip.2.prædictionum,dicente: Herpetes autem minimè omnium vlcerum,quæ depaſcendo proſerpunt,periculoſi ſunt. Verùm maximè difficulter ſubmoueri poſſunt. Ergo magnum,quia humanam opem ſubterfugit: difficultas enim ablationis eius morbi magnitudinem arguit.Magnitudinemque eius cõfirmat Celſus, dicens, medicamentum eius fortuitum eſt, ſed quod fortuitũ eſt, humanam opem ſubterfugere quaſi videtur. Subterfugit autem,quia modo medicamentum eius congruum, modo incongruum eſſe conſpicitur:mali enim & efferati morbi natura eſt modo medicamẽtis parere,modo eorum ſuppetias ſubterfugere.Ergò meritò magnum omnibus his modis ſcilicet ſacrum dici poteſt.

Arabes verò & eorum ſequaces formicam appellauerunt,ob vlcerum & puſtularum paruitatem, & crebritatem ſimul combinatam, qualem puſillum illud animal formica nominatum turmatim progreditur, vel ob aſsiduam deambulationem per membrum,ſicuti formicæ per terram & per murum gradiuntur;nam vel puſtulas, vel vlcuſcula multa & ſerpentia in membro hinc inde habet:vel à dolore hoc nomen habuit, iſtius nãque mali dolor eſt morſiuus ad inſtar vellicantis formicæ.

De numero Herpetum.

TRES eſſe ſpecies Herpetes nemo ſanæ mentis ambigit ex Gal.2.ad Glauc.c.1.dicente: Si verò tenuior fuerit,id quod in ſuperficie eſt tantum deurit veluti, atque hæc ſpecies generis ſortitur appellationem,cum ſimpliciter & ſine additione Herpes vocetur. Dicitur enim Herpes tantum,quia ſerpit cutim,& veluti deurit ipſam: non enim puſtulat vt miliaris,nec corrodit vt exedẽs; ergo Herpetis tantum nomen retinet,quia ſerpit.Et hæc eſt prima ſpecies. Idem

ſentit & Auicenna de hac ſpecie tertia quarti trac.[illegible].cap.1.cum dicit, Cholericum aut eſt à cholera ſubtili valde, quæ non continetur in eo quod ſit magis intus, quam illud quod apparet è cute,& eſt acuta, & fit ex ea formica ambulatione ſola, & eſt ſubtilior.

Secunda ſpecies eſt miliaris,quoniam in hoc affectu puſtulæ paruæ ac multæ per ſummam cutem ſimiles milijs excitantur. Fit autem Herpes huiuſmodi ex bile quidem & ipſe,ſed minus calida & acri quam ſit prior.

Tertia ſpecies eſt Herpes exedens,qui ex acriori bile fit,ideò Hipp.depaſcentem nominauit, & ex ſincera bile craſſa & acri fit, ad differentiam Herpetis miliaris,cui pituitæ aliquid immixtum eſt; ideo & craſsior minus calida eſt, ergo tres ſunt Herpetum ſpecies.

Obijceret aliquis: Non traditur cura niſi de duobus,ſcilicet cura miliaris & corrodentis, tantum eſt ab authoribus depicta. Si igitur hic Herpes genericus eſſet,eius quoque cura ab authoribus tradita eſſet,Non eſt tradita,Ergò non eſt.

Ad hoc reſpondeo, quod authores non tradiderunt curam ipſius, quia parum lædit hominem; & quia facillimè mutatur vel in miliarem,ſi addatur aliquid pituitę,vel in corrodentem, ſi paulo plus incraſſeſcat, & acrior redditur ea bilis: Ergo ſunt tres ſpecies.

De trium Herpetum definitione.

HERPES genericus eſt tumor præter naturam ex tenuiſsima multumque calente bile factus, veluti cutim deurens, & per eam ſerpens,promptequе in cæteros duos tranſiens.

Herpes miliaris eſt tumor præter naturam puſtuloſus,ex flaua bile phlegmati aquoſo commixta,puſtulas crebras, paruas, in milij granorum ſimilitudinem excitans,& ſerpens, prompteque in vlcus deſinens.

Herpes eſthiomenos, ſeu exedens eſt tumor præter naturam vlceroſus ſuperficiem multis cutaneis vlceribus afficiens, ex flaua bile,acri, calida, & craſſa factus proſerpens per mẽbrũ.

De vnica definitioue comprehendente tres iam dictos Herpetes.

HERPES est tumor præter naturam vlcerosus, vel pustulosus, vel cutim ceu deurens, & serpens, varius factus ex flaua bile variè secundum substantiam alterata.

Scio ex hac nostra definitione, vtpotè quia explicitè substantiam definiti non declarat, Herpetes omnes minimè intelligi posse, præsertim si tantum eius corticem inspexerimus, interiori relicto nucleo: non ob id despero examinatis singulis huius nostrę definitionis partibus, herpetes omnes facilè intelligi posse.

Quid sit tumor præter naturam.

QVARTA primi cap. 25. Auicen. Sunt præterea nonnulla apostemata vlcerosa, vt formica deambulatiua: ergo si est apostema, erit tumor præter naturam. Et si hæc prima est tumor præter naturam: quanto magis duæ aliæ species erunt tumores præter naturam, cum ex crassiori materia constent? Deinde Gal. in lib. de tumoribus præter naturam, dicit. Maior tumor in vllo vnquam corpore contingit, nisi horum alterutrum substantiæ suæ accidat, vt vel à copioso calore ceu inferuescens fundatur, vel extrinsecus recentiorem aliquam substantiam acquisiuerit. In Herpete igitur conquisita est in membro biliosa substantia, ex qua attollitur membrum in lõgum, latum, & profundum, cum actionum vitio. Idem in eodem lib. ait, Quando biliosus humor aliquo decubuerit, quod quidem in eo exactum est, tale cutim exulcerat, quod vero aqueæ saniei, aut sanguini mistum est, minus acre est, & magis partem in tumorem attollit. Hoc itaque erisypelas, seu quod mistum est appellatur. Alterum Herpes scilicet quod ex..ctum est. Si igitur magis tumet erisypelas quàm herpes, ergò tumet & herpes.

Quod

Quod sit varius.

VARIVS siquidem est hic tumor, quia in Herpete generico est tumor exiguus, cum cutis veluti deustione, & serpigine, & calore multo. In miliari est minus calida bilis propter admixtionē phlegmatis aquosi, sed serpit, & pustulat, & crassior est, & magis tumet. In corrodēte aūt quia crassior materia est, maior tumor apparet, & quia acrior materia est, ideo cutim, & superficiem carnis crebris vlcusculis serpentibusq; afficit: ergo meritò varius dici potest. At si rem altius expendamus, inueniemus adhuc longè maiorem varietatem. nam variè per omnes tres generales morbos discurrit, quoniam quando tantum veluti cutim deurit, intemperiem calidam, & siccam repreſentare videtur: quoniam hic humor tenuissimus, & calidissimus est, videtur qualitate potius, quàm quantitate, & tumore peccare. At cum pustulat, quia materia eius crassior est, in tumorem euidentem magis attollit membrum, ex quo morbum in compositione induit, seu tumorem præter naturam, sicuti cum vlcerat per morbum in soluta vnitate consistentem migrat, quæ varietatis forma in alijs tumoribus præter naturam non cernitur conspicuè. Nam phlegmon in abscessum migrat, & abscessus in sinum, & sinus in fistulam deriuat, non ob id tam varie migrat per vniuersos generales morbos: quoniam dum ex phlegmone in abscessum conuertitur, stat in genere malę compositionis, sicuti cum sinus est & fistula permanet in genere solutæ vnitatis, sed eis deficit intēperies. Deinde dū deriuat phlegmō in abscessum, non amplius phlegmon dicitur, nec phlegmon abscessuosus: sic nec quando abscessus transit in sinū non nominatur sinus abscessuosus, sed sinus tantum. pariter cum sinus in fistulam incurrit, non fistula sinulotica. At Herpes si veluti cutim deurit, dicitur Herpes; si pustulas, dicitur Herpes pustulosus; si vlcerat, dicitur Herpes vlcerosus seu corrodens. per omnes nanque suas migrationes vnius seu in alterum Herpetis nomen nunquam deficit. Ergò rectè dicitur varius.

Diximus in definitione quod sit serpens: serpit enim omnis Herpes, uerum non semper vlcus est, sed quoties cum exulceratione

ratione eſt, magis inuadit, quia non vtique ſeruata veteri ſede, vicinas partes depaſcit, ſed ſicuti nomen ipſum indicat, ritu ſerpentis beſtiæ relicto priori loco, tranſit ad alterum, ſicut dixit Gal. 2. Methodi. quod Celſus etiam annuit lib. 5. cap. de ſacro igne & eius cura, Serpit nonnunquam ſeneſcente eo quod primum vitiatum eſt, nonnunquam etiam exulceratur vbi ruptis puſtulis vlcus continuatur.

Quod verò fit ex flaua bile, ſic probatur: Bilis duplex eſt 14. Metho. vel eſt pallida, vel flaua. Pallida namque tenuis eſt, in cute potius concreſcit quàm altè deſcendat & eriſypelas facit: Altera verò bilis flaua eſt, de qua 2. ad Glauc. cap. 1. ſic ſcribitur: Sola quando excernitur, & in aliquo membro conſiſtit, herpetem facit, quæ etiam exacta à Gal. in lib. de Tumoribus præter naturam nuncupatur. Bilis igitur prima primi cap. de humoribus, & 2. de potentijs naturalibus, humor calidus & ſiccus eſt, ex tenuiori & calidiori eduliorum, & potuum parte ex immodico calore epatis factus, quę, vt dixi, duplex eſt, pallida .ſ. & flaua, à pallida tumores fiunt bilioſi, à flaua tumores vlceroſi excitantur: pallida namque ex lib. de tumoribus præter naturam, & 2. ad Glauc. cap. 1. tribus modis fit, vel à ſanguine tenuiſſimo, & feruidiſsimo fit eius prima ſpecies morbi, ſ. eriſypelatis, vel à ſanguine perfectè mixto cum cholero calidioribus, quam oportet, & fit ſecunda ſpecies eriſypelatis, vel fit à ſanguine mixto aqueæ ſaniei perfectæ, & tunc fit tertia ſpecies eriſypelatis. Hæc autem pallida bilis, ſi verò mixta fuerit, & imperfectè, vel cum ſanguine bono fit eriſypelas phlegmonodes, vel cum phlegmate, & fiet eriſypelas ędematodes, vel cum melancholia, & fiet eriſypelas ſcyrrhoſum. Sola autem non aſſa nec acris facit tres iam dictas eriſypelatis ſpecies ſimplices, ſi verò aſſetur, & acris fiat, tunc fiet eriſypelas exulceratum congeneris naturæ cum Herpete vlcerato. Flaua verò bilis 2. ad Glauc. per totum corpus effuſa vnà cum ſanguine ictericiam facit, ſola autem in parte aliqua ſecreta decumbens, nulloque alio humore commixta Herpetem facit. Ergò fit ex flaua bile.

Quod sit varia secundum suam substantiam.

VARIAT namque flaua bilis in substantia sua, & pro suæ substantiæ varietate, ita varios generat morbos. Nam 13. Meth. tumorum varietas ex eius quod influit natura nascitur, ergò cum eius natura euariet, varij quoque erunt facti ab ea tumores: nam 2. ad Glauc. cap. 1. quæ tenuissima est, calidissimaque in substantia sua, facit herpetem genericum, sic dictum, quia nomen generis retinet tantum, cum tantum herpes dicatur. i. serpens. At cum crassior secundum substantiam suam euaserit, nec ita calida fuerit, & phlegmati sit immista, herpetem facit miliarem. Si verò crassa valde, & acris extiterit, herpetem erodentem facit, ergo ab ea alterata, & variata secundum substantiam, hæ tres herpetum species oriuntur. At si magis adhuc crassescat, & acrior fiat, vt carnem vsque ad ossa voret, Phagedænam inducit. Si adhuc ad crassiorem substantiam deuenerit, & crassissima, & acerrima fuerit, cancrum exulceratum producet, & hæc de simplicioribus affectibus dicta sufficiant. Si verò misceatur vel cum calidis, vel cum frigidis morbis alias species producit. nā cum calidis herpes phlegmonodes, vel erisypelatodes, cum frigidis herpes œdematosum, vel scirrhosum.

De descriptione duorum Herpetuum ex Celso lib. 5. cap. de igne sacro, & collatione cum Græcis.

DE herpete generico scripserunt, vt dixi, Græci, & Arabes. Celsus autem eum omisit. De miliari autem Græci, Arabes, & Latini pariter tracta runt. Latini verò, vt Celsus addidit colorem rubicantem, addidit exasperationem, & calorem, & pruritum vltra serpiginem, & flauam bilem cum phlegmate mistum, & desinentem in corrodentem. Addidit Celsus, quod corripit pectus, & latera & eminentes

partes,

partes, & plantas. Græci tradiderunt, herpetem erodentem, tanquam tumorem vlcerosum ex crassa, sincera, & acri bile flaua confectum, cutim, & carnis superficiem erodens, & serpens: nam non secus quam ignis proxima quęque depascitur. Celsus verò vlterius procedens, addidit colorem subliuidum, addiditque curæ pertinaciam, nam sanescit in medio relictis extremis exulceratis. Cum verò recidiuat, tunc subnigricat, tumet, durumque fit, & tunc erumpitur, & vlcerat: addidit quoq; corpora, & loca affecta, dicens, corripit semen, & cachechticorum corpora, & in auribus præcipuè aduenit.

De discrimine trium Herpetum inter se.

DIFFERT genericus herpes à cæteris humoris tenuitate, cutis scabritie: reliqui enim ex crassiori constant materia, & vel pustulosi, vel vlcerosi sunt.

Differt pustulosus à generico, quia ex tepidiori, & minus tenui materia constat, & non quidem simplici; sed aqueo commixta phlegmate, tumet magis, & pustulat.

Differt pustulosus ab vlceroso humoris tenuitate, ac benignitate, pustulis, & tumore.

Differt vlcerosus à generico materiei crassitie, & caredine, tumore, & vlcere identidem à pustuloso.

Differunt inter se omnes in curæ difficultate, aut facilitate: Omnes enim, authore Celso, difficillimè tolluntur, scilicet miliaris, & corrodens; sed genericus facilius tollitur, quia tenuior & difflabilior est materia. Conueniunt in hoc, quod miliaris transit in corrodentem, & tunc difficulter tollitur, sicuti corrodens antiquatum corrodente recenti facilius tollitur.

Differt Herpes à Phagedæna, & Cancro.

A Phagedaena, quia materia herpetis tenuis eſt, craſsior verò eſt phagedænæ. Prima acris, ſecunda acrior, quia hæc cutim erodit vſque ad ſuperficiem carnis: illa verò carnem vſque ad oſſa deuorat.

Differt à Noma, quia Nomæ materia acrior, & putrida eſt, & cum febre, Phagedæna vero ſine putredine, & ſine febre eſt.

A cancro, quia cancri materia craſsiſsima, & acerrima, & duriſsima, & fœtida inæqualiter carnem ſubcauans: contraria verò eſt herpetum materia.

De præſagijs.

Genericvs, vt dixi, facilè curam ſuſcipit, ſi quis ſtatim ei occurrat: cæteri autem difficiliores ſunt, præcipuè vlceroſus, & antiquatus. mali ſunt in corpore ſenili, vel in corpore mali habitus.

Malus eſt vlceroſus 2.Metho.& ex Actuario 2.ſui Methodi cap 12. dicente, Dictus eſt herpes eo, quod videatur per ſummam cutem ſerpere modo hanc eius partem, modo proximam occupans, & quod ſemper priori parte laborante perſanata, propinqua eius vitium excipiat, non ſecus quã ignis, qui proxima quæque depaſcitur.

Non minus difficultatis adfert Celſi teſtimonium dicentis, Ex his quę ſerpunt omnibus herpes periculo vacat, ſed difficulter ſanatur; medicamentum enim eius fortuitum eſt, quod accepit ab Hip. 2.prędictionum dicẽte: Herpetes autem minimè omnium vlcerant, quæ depaſcendo proſerpunt periculoſi ſunt. Verum maximè difficulter ſubmoueri poſſunt.

Malignum eſſe morbum hunc, demonſtrare conatus eſt Gale.14.Metho. quia ſcandit, & repit à malleolo ad genu, & à genu ad femur, à femore ad inguina, & niſi nobilem illam Ro-

manam purgasset Gale. vlterius repisset.

Benignitatem verò eius demonstrat Actuarius, sed mea sententia est, vt loquatur de recentissimo libro 4. sui Meth. capit. 16. dicens, postquam humor purgante pharmaco fuerit ejectus, nonnunquam citra topicorum opem laborans, pars curatur, eo quod natura mediocris affectus cum sit, promptè explodat, & eo magis si fuerit genericus.

De cura per victum & pharmacum internum.

COGNITO igitur morbo, & cognita curæ possibilitate, sequitur vt curationem primum internam, postmodum externam aggrediamur: duplex enim est scopus curationis herpetum: primus nanque à materia antecedente: secundus à materia coniuncta desumitur.

A materia, vel in vniuersali, vel in particulari. In vniuersali, si quidem vnica tantum est herpetum materia, seu flaua bilis, quę calidissima est omnium humorum, quemadmodum nos docuit Gal. in lib. de mala intemperie, dicens: Calidissima autem secundum naturam est flaua bilis: frigidissima verò pituita: ex alijs autem humoribus post flauam bilem sanguis est calidus, nigra verò post pituitam frigida. Acris verò est, Galeno de tumoribus præter naturam dicente. at quia ex acrore hic minus, ille vero magis talis est, scire oportet ex acriori herpetē exedentē constitui. Alterum miliarem Hip. ætate aliqui appellarunt, & quod pustulas in cute ad milij speciem procreet, ex quo talis fluor pituitæ commistus est, sicuti alter exactè debilis omne videtur, ideoque cum erasione accidit, affectu cutis continuitatem præhendente, vnde nomen quoq; sortitus est. Quæ quidem accredo 5. simpl. 25. caloris igneitatem notat: ergo impensè calida impenseq; sicca, & tenuis, & leuis est, in qua tria considerantur ex 14. Meth. quorum primus est ipsius copia, nam si multa est lenita aluo, & præparata materia multa dosis medicamenti requirit, vel valentem pharmaci vim, sicuti si

ti si pauca est nec tam copiosa, nec tam valens debet esse medicina.

Secundum est humoris tenuitas, vel crasitudo. tenuis nanque pròptè per cholagogum, vel per diureticum euacuatur, vt in herpete generico. At si crasior extiterit, ad soluendum ineptior erit, & valentiori pharmaco egebit.

Tertium est potentia ipsius, nam quò magis furibunda erit, eò celerius educi debet, si ecõtra, tardius. Si furibunda erit cognoscitur, quia multum serpit, quia vlcerat, quia derelicto loco vno ad alium scendit, igitur celerrimè educatur.

Copia debet inhiberi, ne copiosior adhuc fiat: inhibetur autem vel victu parco, & humori aduerso, vel pharmaco purgante. Ad victum nos suadet Hippo. in lib. de vlceribus dicens. Modicus cibus, & aquæ potus quàm maximè omnibus vlceribus conducit, magisque recentioribus, quàm vetustis. Fit igitur cibus panis hordeaceus, ptisana hordeacea, caro vel hædi, vel pulli, vel vituli, vel auium minutarum cocta cum acetula, vel boragine, vel endiuia, vel portulaca, vel soncho, aut lactuca, aut lupulis. Potus sit aqua hordeacea, vel lora ex vuis albis confecta.

Ad purgationem nos deducit humoris copia, furor, & subita alteratio simul cum authoritate Hipp. in lib. de vlceribus dicentis: Purgatio ventris pluribus vlceribus conducit, & in exedentibus, ac serpentibus, & aliàs inueteratis vlceribus, siquidem, vt ait eius interpres, puro existente corpore, purus quoq; locus affectus seruatur, ex quo succedit id, quod Actuarius minatur lib. 4. cap. 16. dicens, Postquam humor euacuante pharmaco fuerit eiectus, nonnunquam citra topicorum opem laborans pars curatur, quod si negligatur, incidimus in dictum Gal. 14. Meth. dicentis, Si quis repellente, & consolidante citra corporis purgationem, vlcus sanauerit, proxima cutis exulcerabitur, vt de nobili Romana exemplum dedit. Sed purgatio nequit fieri nisi humor, qui furibundus non sit, prius concoquatur, iuxta illud Hippocr. Concocta medicari & mouere, non cruda, nisi materia fuerit furiosa. Concoctioni autem præualet ventris lenitio. Igitur in omnibus herpetibus aluus hoc pharmaco leniatur. Recipe floris casiæ drach. 10. pulpæ tamarind. drach. 3. cum succharo fiat bolus. Accipiendus per ho-

ram ante cibum. Si verò patiens potabile magis pharmacum desiderat, detur hoc, quod recipe mellis rof. folut. vnc. 4. pulpeæ tamarind. drach. 3. feri lactis q. f. fiat potio.

Lenita aluo, fequitur vt concoquamus materiam, & particulariter in vnoquoque genere herpetuum. In generico fiquidem detur hoc concoquens, quod recipe fyr. de foncho, portulaca ana vnc. 1. aquarum acetofæ, portulacæ ana vnc. m.

In miliari detur, quod recipe mellis rof. fyr. de foncho ana vnc. 1. aquarum cichoreæ, lupulorum ana vnc. 2. m.

In corrodente exhibeatur, quod recipe fyr. de portulaca, de fumaria ana vnc. 1. aquarum portulacæ, fumariæ ana vnc. 2. m.

An debeamus poft tres fyr. phlebotomare ægrum, an non? Refpondetur ex 12. ad Glauc. cap. 2. quod non ex vena in talibus fanguis mittendus eft, fed ventrem tantummodo expurgare fuffert. Dandum autem eft potius medicamen quod bilem flauam educat. Si verò pafsio parua fuerit, neque hoc facere eft neceffarium, fed fufficit clyftere acri vti. Humores enim qui multum diftant à fanguine fecũdum Auicennam, nequaquam per phlebotomiam euacuabit, cuiufmodi eft flaua bilis.

At fi cum cacochymia plethora immifta fuerit, & phlebotomare & pharmacum dare licebit, vt vtrique, quod fuum eft, tribuatur.

Solutiua in herpetibus euariant pro materiei tenuitate, & crafsitie, fimplicitate, & miftione.

Solutiuum igitur in generico, in quo confideranda eft humoris tenuitas, & habilitas ad vlcus, erit hoc. Recipe fyr. rof. fol. vnc. 3. floris cafsiæ drach. 6. rhabarbari infufi f. a. drach. 1. s. cum aqua acetofę fiat potio. Vel hoc, quod recipe rhabarbari drach. 1. s. infufi f. a. pulpeæ tamarindorum vnc. 5. feri lactis bulliti cum paffulis q. f. fiat potio. Poteft etiam, fecundum Gale. dictum nuper citatum, educi cum diuretico, quia tenuifsimus is humor eft, quod recipe ciphidis drach. 1. s. vel drach. 2. cum cyatho aquæ lithofpermatis, vel cum decocto radicum anemonis & foliorum laueris in fero lactis facto exhibeatur.

Solutiuum in miliari, phlegmatis, f. & bilis fimul, eft hoc, quod recipe fyr. rof. fol. vnc. 3. flor. cafsiæ drach. 6. rhabarbari & agar. trochifcati ana drach. 1. infundatur f. a. & cum aqua cichoreæ fiat potio. Vel hoc, quod recipe turpethi optimi, rhab.

ana

ana drach. 1. flor. cassiæ drach. 10. cum succharo fiat bolus.

Solutiuum in erodente, quæ crassior materia est, & acrior, & non tam apta solutioni, accipiatur diagridij gr. 4. syr. rof. sol. vnc. 4. seri lactis q. s. fiat potio. Vel recipe syr. de fumaria solutiui, aut de polypodio vnc. 5. decoctionis senæ in sero lactis factæ q. s. fiat potio.

De cura topica herpetis generici.

ACTVARIVS lib. 4. cap. 16. ait, porrò herpeti exterius quoque opitulari licet. Verum si immoderata materia puta bilis copiosior eum genuit, medicamentis catarcticis est expurganda, aliter enim herpes externis epithematis nō obtemperat. Igitur meritò post corporis totius purgationem, ad topica deueniendum esse censemus.

Generici curandi materia, veterorum omnium calidior, & tenuior est, proinde amplius, quam erisypelas non vlceratum quod æmulatur, & refrigerari, quia calidnm est, & humectari quia siccum est, valde postulat. Igitur aut cura eius erit frigida, & hu mida, cutis nanque aspredo id requirit, vt & humectando leniatur. Fieret autem hoc, nisi moniti essemus ab Auicenna quarta primi cap. 25. dicente, Sunt nonnulla apostemata vlcerosa, vt formica ambulatiua, s. sola, i. herpes genericus, quæ quidem remedia refrigerātia exposcunt, at non debent humectari, & si ipsi apostemati debeatur humectatio, imò exiccentur, quoniam in his vicit iam accidens causam. Est autem accidens ipsum vlcus quòd affuturum timetur, vel quod iam adest. Vlceri enim cura siccatiua debetur, cui nihil noxium magis est ipsa humectatione. Ergo refrigerari simul, & exiccari debet, verum non adeo impense, vt in miliari, vel erodente, qui madentiores sunt: cutis enim, & humor eius, seu generici herpetis obdurescceret, & difflationi non pareret. Igitur contenti erimus ea exiccatione, & refrigeratione, quæ difflationi non obstat, siquidem obstructio in causa est putredinis, & per consequens vlceris, & ideo medicamentum eius sit inuasioni resistens paululum, s. stipticum: siccum verò vt putrefactioni resistat,

ſiſtat, & vlceri, refrigerans, vt calori obſtet: igitur vtemur folijs ſolani, plantaginis, parietariæ, & roſis in aqua hordei decoctis, aut & ex decocto fiat fotus, & ex herbis fiat cataplaſma, & hoc vſque ad feruoris deſtructionem, quibus addenda eſt tunc hordeacea, vel fabacea farina, vel ex lente, vſque dum tota aſpredo, & caliditas deleatur. At ſi vlcus timendum, reiterentur purgationes perſiſtentes tamen in eodem topico, & in victu refrigerante. At ſi nihil hæc proficient, & in vlcus tranſeat, curabimus eum vt infra, ſ. de cura exedentis herpetis.

De miliaris herpetis cura:

PVSTVLOSVM herpetem à flaua bile pituitæ admixta fieri diximus ſecundum Græcorum, & Arabum mentem. Proinde fit vt bilis hæc mitior cæteris ſit in calore & acredine: calor nanque bilis à frigiditate pituitæ coercetur: acredo quoque bilis humiditate pituitoſa demulcetur. At quia bilis feruens eſt agens in pituitam puſtuloſum herpetem ebulliendo excitat: igitur huius morbi natura erit moderatè calida, nec adeo ſicca, vt cæterorum herpetum materia eſt. Tumor vero maior in ea eſt: quia craſsior materia eſt, nec vt in exedente per vlcus transfluit. Omnis itaque humor infarctus euacuari poſtulat, vt euacuantia calida & ſicca ſunt: ſiccitas autem ei competit, quatenus humorem abſumit, calor autem minimè requirit, quia humor hic calet, & quia puſtuloſum eſt, abſceſsione eget, & quia inuadit, igitur ſtiptica condonanda ſunt, & ne etiam in vlcus abeat, igitur ſiccũ adſtringẽs, & abſtergẽs frigidũ requirit hoc malũ pharmacum, quemadmodum eſt pharmacum Aetij, quod recipe plumbi vſti, & loti, vt ſiccet, & refrigeret ſine morſu vnc. 2. vini auſteri q. ſ. & ſucci blitis m. & fiat lenimentum in mortario.

Aliud, quo ego ſæpe vtor, quod conſtat ex decocto perdicij, & bliti in aqua factis, cui decocto ſublatis herbis fruſtum magnum calcis viuæ impono, ex quo clarefacto petiæ in ipſo tepido infundantur, & ſuper puſtulas ter in die imponatur. Aliud ad idẽ quod recipe ceruſſæ, & lythargyri ana vnc. 3. ſul-

phuris viui vnc. s. ſucci perdicij, & aceti q.ſ. terantur in mortario.

Dolori etiam interdum incumbendum eſt, nã vis eius quandoque trahit ad ſe curam, igitur facta purgatione epitimetur locus affectus lacte tepente recentiſsimo, ſecundum monitum Auic. in cap. de formica miliari.

De cura herpetis vlceroſi.

VLCEROSVM herpetem ab acriori, & craſsiori, & diutius morante bile flaua fieri diximus, ob id cum cæteris calore communicat. Ergo cum cæteris refrigeretur, ſicuti reliqui ſerpunt ita & hic ſerpit: ergo ſtipticis vti debemus: & ſicuti cum cæteris madet, ita cum cæteris exiccari poſtulat: ergo frigidum ſtipticum, & ſiccum expedit eſſe pharmacum. At quoniam madoris pars craſsior carni hæret, abſterſione eget, idcirco & ipſius momentum imponi debet.

Sed qm̃ herpes iſte interdũ recẽs, interdũ antiquus eſt, ſi recẽs, & ſuperficialis ſecundũ ſententiã Aetij, mitiſsima remedia applicanda ſunt, nam 2. ad Glauc. Omne vlcus ſiue ſponte, ſiue ex accidenti, ſiue ex vulnere factum, exiccari deſiderat, medicamento, vt inquit Hipp. non mordente, neque irritante, vt cum glaucino vnguento ſolani ſucco diſſoluto. Sed cum peruoluerem 4. & 5. Cathageni, vt hoc Glaucinum pharmacum inuenirem, nullum tamen tali nomine inſignitum pharmacum inuenire potui, niſi vnum non Glaucinũ dictum, eo quod Glauciũ egrediatur, ſed ꝙ authori Glaucio inſcriptum, quod ſatis validum eſt. Recipit enim aluminis liquidi drachmas centum, loco cuius vt mite fieret, ponerem tantundem marcoris lignorum ſalicis, deinde habet myrrhæ, & croci ana vnc. 1. paſſi q. ſ. fiant trochiſci, ex quibus dilutis cum ſucco plantaginis in mortario tritis ſub filamenta poſitis vti commodè poſſumus. Vel medicamentum Aetij, quod recipe lithargyri, molyhdænæ in mortario cum vino auſtero tritis cum ſucco bliti vtitor.

Si vero profundius inuadit, igitur humentius fiet, maiori

igitur,

igitur ſiccante & abſtergente egebit. Non temerè igitur ab omnibus Græcis, & Arabibus vſurpantur duo pharmaca, quorum primum. Recipe lanæ veteris non lotæ circa tædam combuſtæ drach. 12. s. ceræ drach. 25. decrementi plumbi drach. 6. ſceui caprini depurati, & loti drach. 12. olei myrthini vnc. 3. f. vnguentum in mortario. Digerit enim & repellit, abſtergit, & concoquit. Aliud ad herpetas acutè depaſcentes. Recipe putaminum mali punici dulcis, litargyri ana drach. 6. lanæ veteris vt ſupra combuſtæ drach. 2. ceræ drach. 6. ceruſſæ, thuris, rhu ana drach. 3. cum vino & myrteo oleo excipiatur, repellit, ſiccat, & concoquit.

De inueterati herpetis cura.

INVETERATVS herpes cognoſcitur tumoris copia maiore temporis diuturnitate, carnis duritie, & calloſitate, & in naturam humoris maligni tranſmutatę, ex quo noua ſemper prodeunt vlcera, & relicto vno loco ſcandit in alium. Duplex eſt vlcus, vel multum profundum, vel non multum. Non multum profundum cathereticis ideſt erodentibus eliditur vſque ad partem mollem, & ſanam, poſteà conſolidatur. Profundius verò vel ſepticis, vel pyroticis, vel denique ipſo igne aufertur.

Catheretica, ſeu erodentia ſunt hæc: ærugo æris, & ſquama æris vſta, & elota ſimul cum alumine vſto, & ferretum Hiſpanicum pręparatum cum decima parte præcipitati optimi, & cum albore oui, vel ſucco hyoſciami fiant trochiſci, & per filamenta imponantur. At ſi fortius medicamentum deſideras, hæc omnia vſta, ſed non lota ſimul miſce, & pange trochiſcos, & vtitor.

Si verò profundius carnem inuaſerit durities illa, quod per intimiorem tumorem, & duritiem, & liuorem cognoſces, tunc relictis prioribus medicamentis, vel trochiſcos Andronij, & Muſæ te conuertas. Vel ad id, quod recipe calchanti vſti, auripigmenti, lythargyri ſublimati, antimonij accenſi, & extincti in aceto ana vnc. 1. terantur ſupra marmor, & cum paſſo formentur trochiſci.

Vltimò deueniendum eſt ad oleum de calchanto, vel de ſulphure, vel de arſenico, vt caro omnis liuens deſtruatur vſque ad ſanam, & procuretur caſus eſcharæ impleatur, & conſolidetur. Vel ſi hoc non ſufficit, deueniendum ad ferramenta ignita, iuxta illud Hippocratis. Quæ mala non ſanat medicamentum, ea ferrum, quæ ferrum non ſanat, ea ignis, quæ ignis non ſanat, omnino inſanabilia eſſe putato. Nam Albucaſis tract. 2. cap. 54. ait, & corrodens quandoque medicatur cum medicina acuta, ideſt vſtiua: ipſa namque ſuggerit loco cauterij. Veruntamen cauterium cum igne eſt velocioris iuuamenti.

Cathalogus multorum medicamentorum in propoſitam materiam conducentium.

RECIPE pul. cariei lignorum ſalicis, oſsis ſępiæ, corticum oſtreorum combuſtorum ana drach. 2. præcipitati optimi drach. 1.

Aliud, quod recipe ochræ libr. 1. s. croci drach. 1. cineris corticum ouorum, gallarum ana vnc. 6.

Recipe lythargyri lib. 3. olei antiqui libr. 6. acceti libr. 2. vel omphacij tantundem æruginis æris, ſquamę æris præparatæ ana vnc. 1. s.

Recipe ceræ libr. 1. ceruſſæ vnc. 8. roſacei libr. 1. ſalis ammoniaci vſtiſsimi vnc. 4. ſquamæ æris vnc. 2. aluminis, æruginis, thuris, malicorij, calcis viuæ ana vnc. 1. liqueſcant prius omnia liqueſcenda, & tepefacta aridis commiſceto prius vino tritis, atque placidiori igne coquito.

Aliud, quod dolori obſtat. Recipe lythargyri, maſtichis, adipis caprini, roſacei ana vnc. 6. vitellorum ouorum numero 5. lythargyrum cum roſaceo, & adipe coquito, deinde maſtichen addito, & cum modicè refrigeratum fuerit, oua miſceto.

Aliud, quod recipe ceruſſæ, ſpumæ argenti, pompholygis ana vnc. 2. cadmiæ vnc. 4. medullæ vitulinæ vnc. 3. ceræ, olei roſati, myrthini ana vnc. 6.

Aliud, recipe pōpholygis, ceruſſæ, ſpumæ argenti ana vnc. 1.

ladani vnc.2.acaciæ vnc.4.ceræ vnc.3.olei myrthini vnc.6.vitellorum ouorum assatorum num.9. vini q.s.

Aliud, recipe cadmiæ, lithargyri, scoriæ plumbi, sulphuris viui ana vnc.2.aluminis vsti, rutæ virentis ana vnc.1.ceræ vnc.5. olei myrthini libr. 1. vini q.s.

Aliud, recipe cadmiæ lotæ vnc.1.thuris vnc.s. litargyri loti vnc.1.ceræ albę vnc.2.therebinthinæ vnc.1.s.olei myrthini q.s. terito ex vino omnia, postea adde iridis, meliloti, aristolochiæ, capitulorum papaueris, seminis hyosciami albi ana vnc. 1. contrita in vino per noctem madescant, & metallica ex hoc vino colato ad mellis lentorem contere, postea in mortarium myrthinum conijcito, & ad linimenti consistentiam subigito, postea in olla noua omnia clementi igne coquito, therebinthinam addito, & ab igne amoueto, & assiduo versatu refrigerato.

Non possum tacere duo præstantissima remedia, quorum alterum est aqua ligni, quoniam qua virulentum vlcus, & ob id madidum siccari postulat, qua verò aliquid saniei in se continet, abstergi debet, qua verò calidum, refrigerari postulat, & qua id malum epatis consortio fit, igitur refrigerari, & corrigi debet. Igitur aqua ligni quia siccat, vlceri virulento respondet, qua vero stipticat, inuasionem cohercet, qua vero abster git, mundat saniem, qua verò in aqua lentes, & plantaginem, & blitum, & polygonum immistum habet, refrigerat. Igitur omnibus, vt aiunt numeris, ex quadrato respondet, extra vlceri imposita. Intus verò exhibita quia calet epar, igitur pilosella decocta in aqua, & per os exhibita secundum vsum communem erit optima. Et suo calore tepido, & vaporoso facit difflationem, & mollitiem tumidi, & duri parit. ergo optima.

Alterum verò remedium est, vt sicuti & in aqua ligni post purgationes patiens intret balneum S.Petri, calore illo suo natiuo facit ad difflationem, & coctionem: sua verò siccitate, stipticitate, & abstersione id reliquum præstat, quod vlceri idoneum est, & emollit etiam, quædam expertus sum ratione actualis caloris cum vnctuositate.

Aliud experientia comprobatum, ex quo id omnino, quod est præter naturam, tollit, & quod naturale est, seruat, & consolidat, quòd recipe sublimati drach. 1. s. mercurij drach. 2. li-

thar-

thargyri vnc. 2. axungiæ porcinæ colatæ vnc. 4. mercurius extinguatur saliua, & axungia, postea adde sublimatum, & contere. Vltimo lithargyrum impone, & afsiduè terito, & vtitor. Notandum est, quod quanto magis de lithargyro addis, tanto post primas vires felicius operatur, & si cum vnguento rosato loco adipis miscueris, citra dolorem operabitur.

Vel mora in balneo maiore sancti Petri per horam ante cibum, vel aqua ligni per sexaginta dies pota, & aplicita, valet.

DE PHAGEDAENAE COGNITIONE, ET CVRA.

De varijs nominibus ipsius.

GRAECI omnes phagedænam, idest comestricem appellant: nam descendit à verbo phagedæno, ſ. commedo. Latini, ſ. Celſus lib.5.cap.de therioma te herpetam eſthiomenon appellauit. Herpetam quia repit, eſthiomenon, quia erodit ita appellare conſueuit.

Arabes verò ſicuti Auicenna quarta quarti tract.3. cap.8. appellauit vlcus corrodens ſe. Vlcus quia eſt ſoluta vnitas immunda, corrodens, quia carnem atterit ſicuti lima: ſe, id eſt locum vbi inſedit, ſ. ſubditam carnem.

Moderni Lupum appellarunt, quia ſicuti lupus voraciter vorat, & cõmedit carnes crudas, & viuas, ita hoc malum vorat carnes vſque ad oſſa.

Phagedænæ definitio:

PHAGEDAENA eſt vlcus vehementiſsime carnes vſque ad oſſa depaſcens, ex nigra, torridaque bile factam, medium in craſsitudine, & tenuitate inter herpetam exedẽtem, & cancrum vlceratum, colore ſubliuido, cum circunſtantium tumore, & inflammatione, & carnis inæqualitate, ex quo mucoſus, & cæno ſimilis humor cum odore intolerabili exit, & ſine febre.

Prima pars definitionis est, quod phagedæna sit vlcus, quod sic probatur. Est soluta vnitas in carne erodendo facta, & fœda: Ergo vlcus.

Quod sit soluta vnitas visu comprehenditur, nam partes disiunctæ sunt adinuicem, ergo soluta vnitas, erodendo facta. Nam proprium vlceris cutim, vel carnem simul erodere, quia ex acri humore fit. Deinde 14. Meth. & in lib. de tumor. præter naturam inter exedentia vlcera adscribitur phagedæna, sicuti & herpes exedens in cancer ulceratus. Additur etiam in testimonium nostræ veritatis 6. Apho. commen. 45. vbi ait Galenus. Aliqua itaque vlcera semper maiora, & deteriora fiunt, atque hæc omnia phagedænas, idest exedentes antiqui nominabant. Deinde in vulgar. commen. 3. commen. 37. Gale. ait: Quod autem phagedænę vlcera erodentia appellentur ab Hippoc. quæ etiam phagedænica veteres Medici appellent in tertio de humoribus diximus. Item 5. Apho. 22. in commen. ait. Phagedænica, idest carnem comedentia nominant; si itaque comeditur caro quia acris ille humor erodit: Ergo vlcus facit.

Secunda pars definitionis erat, quod vsque ad ossa carnes voret. Si de quo minus videtur inesse, & inest: Ergò & de quo magis, per regulam topicam. Si igitur herpes, cuius materia subtilissima est, & parum acris, non modo cutem, sed & subiectæ carnis portiunculam erodit, quanto magis acris ista, & crassior bilis feruidiorque, vehementius carnem corrodet, & vsque ad ossa vorabit, quod visu tactuque faciliter comprehendi potest. At si vltra visum rem vlterius per testes comprobare velimus, non desunt quidem testes, & fide digni, vt Celsus lib. 5. dicit. At ex his vlcus quod celeriter serpendo, penetrandoque vsque ad ossa carnes uorat. Item Gal. in lib. de tumoribus præter naturam dicit: Phagedæna verò vnà cum cute pariter subiecta attingit, celeriter verò id facit, quia multum acris est.

Tertia pars definitionis erat, quod sit factum hoc vlcus ex nigra, torridaq́ bile.

QVOD sic probatur per Gal.2.de Cris. dicẽtem, ficuti si nigræ biles fuerint, cancros, & phagedænas aut elephantes, aut aliqua ex incurabilibus fient vlcera. Confirmatur etiam per exemplum Galeni 14. Methodi dicentis, ex crassissima atra bile fieri cancrum, quæ certè ut oculis nostris conspicitur omnium nigerrima est. At cum ibi dicat hanc phagedænæ materiam proximam esse cancro, & herpeti, ergo erit minus nigra, quàm cancri materia, & magis nigra, quàm materia herpetis. Deinde omne adustum nigrescit. Hæc autem bilis adusta est, & atra effusa est. Deinde ex lib. de tumor. præter naturam, non solum cancerosum, uerum etiam pleraque alia ulcera cum tumoribus corporum ea continentium, constituuntur omnia ex cacochymia, idest prauo succo profecta: & declarat eum succum dicens, uel birioso quodam, uel melancholico, s. adusto, uel aliquo alio æruginoso prauoque, & maiore corruptela subnato. Melancholicus autem per uiam assationis, fit æruginosus, & nigrescit.

Huius cacochymiæ, & corruptelæ causam narrat Gal.3. de temperamentis, dicens: Gignuntur non rarò spontanea vlcera alia ex vitioso cibo, alia autem ex quapiam in corpore corruptela, qui vitiosus succus interiorum aliquod exulcerat, magna tamen ex parte cutim, quoniam in hanc excrementa quæ in ambitum corporis colliguntur, natura expellit, malis assiduisq́; vlceribus cutem afficit, quippe cancri, phagedænæ, herpetes exedentes, & carbunculi ab huiusmodi cacochymia oriuntur.

Quarta pars definitionis erat, quod sit ex bile torrida in craßitudine inter herpetem, & cancrum.

HOc satis patere potest ex Galeni sententia 14. Methodi, dicentis: At tenuissimus quidem in eiusmodi humoribus est, qui exulceratam herpetam excitat, crassissimus, qui cancrum, proximum ab his locum occupat, quod ad crassitudinem attinet, qui phagedænæ creat.

Neque enim sicuti herpes cutim scandit, neque in venis continetur ac duritiem intimam habet sicuti cancer, quia media est hæc bilis atra inter ea quæ facit herpetem, & quæ facit cancrum exulceratum.

Quinta pars definitionis erat, quod sit colore subliuido.

QVOD sic probatur, Omne deriuatiuum sapit naturam primitiui, sed nigra bilis est, & possedit carnem, & cutim, ergo nigro, vel subliuido colore carnem, & cutim tingit. Item Gale. in 1. Proreth. com. 3. com. 3. ex vehementi calore vrina nigrescit. & in primo Proreth. com. 1. commen. 4. Vrinas nigras reddi ob atræ bilis serositatem cum aquositate vrinali commistam. Cum igitur affluxus sit niger, & feruor in loco multus ad nigritiem, vel ad liuorem caro simul cum circunstantibus reducitur, quia vt Vidas de Vidiş interpres Hippocratis ait in lib. de vlceribus, indicat autem naturali calore iam fracto eam, qui præter naturam est, atque igneus omnia corrumpere, adeò vt nec vlcus, nec quæ iuxta sunt pristinum colorem retinent, sed vel iam nigrescit, vel certè subliuet.

Sexta pars erat, quod ſit cum tumore, & inflammatione.

CIRCVMSTAT tumor, quia pars quæ abſorpta eſt in carnem in circuitu vlceris circunſtantes partes in tumorem attollit, manetque: quia craſsior cum ſit materia plus quam herpetis, ideo difficilius per vlcus excernitur, ergo retinetur, & ſtat, & tumorem facit in circunſtantibus, quod Gal. etiam clare dixit in lib. de tumoribus præter naturam, quæ in ambobus conſiſtant, vlcere, & tumore ambiente phagedænam appellant. Conſonat autem Hip. dictum in lib. de vlceribus, cum ait: Cataplaſma verò tumoris, & inflammationis partium adiunctarum, &c. in quo curat illum tumorem, ergo ineſt.

Item non deeſt Celſi teſtimonium dicentis, maiorq; quam pro modo vlceris inflammatio eſt, Ergo ſi inflammatio eſt, & tumor præter naturam eſt. Quia cum inflammatio fiat ex affluxu citra tumorem ſtare nequit.

Septima pars definitionis eſt, cum vlceris inæqualitate.

PROPRIVM quorumcunque vlcerum corroſiuorum eſt maximè à craſſo humorum factorum, ſicuti in cancro conſpici facillimè poteſt. Ecce inæqualia, quia pars vna corroditur altera parte integra remanente, quemadmodum in cancro facillimè conſpicitur. Craſsitudo namque materiei facit globoſitates, & inæqualitates. Ergo etiam ſparſio materiei inæqualiter ſparſa, inæquale vlcus reddit, quia in uno loco ſparſa materia craſſa, & acris cauat: in alio uerò loco ubi non eſt, non cauat, ſed eminet.

Octaua est, cum exitu mucosi, & cænosi humoris:

HVMOR est multus: quia magnum est vlcus, magnum vlcus indicat magnam corrosionem carnis, ad quam sequitur multa humiditas nigra, vt dixi, quia caro nigra est quæ colliquata est, & à putredinali calore vexata: magna igitur carnis eluuies exusta glutinosa efficitur, vt cuilibet torrido à sese percolante humido aduenit. Glutinosus nãque humor est, qui omnes humiditates substantificas membri eliquat, simul cum glutinosa humiditate membrorum. Non dixit saniem; sed humorem, quoniam Gal.5.Apho.22.dixit. Cancerosa, chironia, & telephia, & phagedænica: hæc enim vlcera non suppurantur, ergò non faciunt saniem, sed humorem malum. Cæno autem assimilatur: quia subnigricat, vt cænum.

Penultima pars erat cum odore intolerabili.

QVIA computrescens illa nigra bilis mala ab initio, & mala per putrefactionem mirificè fœtet, vt in cancro phagedænæ vicino facilè conspicitur: non enim regitur à naturali calore: quia malefica est, & ideo horribiliter fœtet.

Vltima pars definitionis erat, sine febre:

QVEMADMODVM dixit Gal.6.Cathageni cap. 1.dum discriminat nomã à phagedęna, dicens: Etenim illas putrilago depascitur, eoq; turba Medicorum hos affectus Nomas appellat. Illa verò vno loco sine putrilagine circumscripta sunt, vt & phagedænæ dictæ vicina quidem depascunt, non tamen ea putrefaciunt, febresque inferunt, quod ijs, quæ depastionem cum putrilagine sustinent, accidere consueuit. Fuligo namque putridi humoris per venas, & arterias ascendens ad cor, febrem infert, quod in phagedæna non conspici-

ſpicitur, quia non putrefacta eſt copioſè vt Noma. Et hęc de definitionis declaratione dicta ſufficiant. Nec abſorbetur per venas ad cor; ſed defluit per vlcus, & ideo non facit febrem.

Quæ differentia ſit inter phagedænam, & phagedænicam: & inter phagedænam, & herpetem: & inter phagedænam, & cancrum vlceratum.

AD primum Gal. in lib. de tumoribus præter naturam, ait: Quæ nunc partes depaſcuntur, & circumpoſita tingunt ſanum corpus ambiens erodentia, hæc vniuerſa phagedænica nominãtur. Et hæc ſunt ægritudines non rectè criticantes. Si verò ſapiunt efficientem, aut internum, & ſunt accidentia animi: aut externum, & ſunt exercitia mala.

Et omnes hæ vel ſemi, vel integrè ſanguinem corrumpunt pro faciendo abſceſſu, & pro gangræna fienda, quarum aliquæ ſe tenent ex parte cibariorum, & potuum, cum dixit nauſeatiua ſacietas: alia verò ex parte motuum corporis, & ideo dixit exercitia mala; nonnullæ ex parte antecedentis ægritudinis, & idcirco dixit ægritudines, quæ non faciunt criſim cum euacuatione apparente: reliquæ verò ſe tenent ex parte accidentium animi, ob id dixit, & nocumenta animalia ex anguſtis, & ſolicitudinibus corrumpentibus ſanguinem.

Ad primum, quatuor conſideranda ſunt, cibariorum, & potuum qualitas, quantitas, numerus, & ordo. Cibaria namque calida, & humida, & corruptioni obnoxia, & pinguia, vt lac, butyrum, cerebrum, &c. & fructus errarij faciliter corrumpuntur in ſtomacho non valde forti, ex quibus corruptus chylus generatus in ſtomacho delatus ad epar: quia epar non corrigit malam ſtomachi coctionem, generat ſanguinem corruptum, qui ſi ſemicorruptus fuerit, & in aliud membrum reiectatus, facit abſceſſum. Si omnim odè corruptus fuerit, gangrænam conſtituet.

Ciba-

Cibariorum verò quantitas, quàm expreſsit per nauſeatiuam ſatietatem, efficit, vt non conuincatur à concoctrice vi vniuerſali, ſed putreſcat in eo, & putri chylo tranſmiſſo ad epar, & poſtea reiecto ſanguine illo putri, ſecundum quod aut ſemi, aut totus putridus fuerit, ita vel abſceſſus, vel gangræna fiet.

Numerus vel reſpicit obſoniorum pluralitatem, vel comeſtionum crebritatem, vtrumque ad corruptionem chyli in ſtomacho, & ſanguinis in epate, vt prænarrata fiant, conducit.

Ordo ſuccedit, qui ſi præpoſterus erit, nocet: ſi verò rectus, iuuat, quandoquidem ſi cito putreſcibilia in vltima menſa comedantur, nocet: quia cum diuturniorem moram in ſtomacho contineant, corrumpuntur, & quæ eis ſubdita ſunt, ſimul putre faciunt. Pari pacto, ſi citæ coctionis poſtponantur ijs, quę difficilem habent concoquendi modum, corrumpuntur ambo, ipſa verò primitus, poſtea reliqua per contactum putria redduntur. Sic pariter aduenit, ſi confundantur putreſcibilia cũ ijs, quæ difficulter putreſcunt, ex quibus omnibus putris chylus, & putris ſanguis redditur, aut ſemi, aut in totum, & facit hoc, vel illud ex iam dictis.

Notandum vnum eſt, quod etſi cibariorum qualitas, numerus, & vices, & ordo præuaricetur, in ſtomacho forti, non niſi exiſtente præuaricatione maxima, aut crebra, corruptio non aduenit, ſed in ſtomacho minus forti: quando à nauſeatiua ſacietate corripitur, vt fit in iſtis ingluuioſis, quorum Deus venter eſt, ad nauſeam vſque ſemper ingurgitantes, tanta iſtius nauſeatiuę ſacietatis eſt vis, vt validi ſtomachi vires ſuperet, & chylus exinde corrumpatur, & illa, quæ ſequuntur, fiunt, ob id Auicenna hanc nauſeatiuam ſacietatem, tamquam cæteris efficaciorem in his faciundis ſolam deſcripſit.

In ſecundam cauſam ponit exercitia mala, pro quibus quæritur quid ſibi velit per hoc nomen exercitia? ad quod reſpondemus omnem motum corporis ſignificari quarumcumq; artium, ſiue mechanicorum, ſiue hominum nobilium. De mechanicis autem, vt ſunt omnes artes in ciuitatibus exiſtentes, & extra ciuitates, vt ſunt exercitia agricolarum, & nautarum, & itinerantium, & militum. Nobilium verò ſunt ludi omnes, equitatio, vectio in curru, vel in lectica, choreæ, ſaltatio, haſtiludia, venatio, militia, dimicatio ſcyrmica.

Quæritur item, quid ſibi vult Auic. per hoc nomen mali? Reſpondetur, quòd ea mala ſunt, quæ laborioſiora ſunt pluſquam vires exerçitantis ſuſtineant, vel quia nimium longum temporis tractum durant, vel quia citra temporis opportunitatem, ſtomacho, ſ. nimium inanito, vel nimium repleto fiunt. Quæ omnia, & maximè ſi ſtomacho repleto fiant, agunt ad corruptionem chyli, & ſanguinis, vt iam dicta fiant.

Tertiam cauſam dixit eſſe ægritudines non facientes criſim cum euacuatione apparente. Cum igitur materia faciens anteactam ægritudinem, nec ab arte, nec à natura per ſudorem, aut aluum, aut vomitum, aut per vrinam, aut per fluxum ſanguinis narium, aut hæmorrhoidarum, aut menſium euacuata non fuerit; ſed in internis coacta conſtiterit, & corrumpitur, & relegata ad cutim, vel abſceſſum, vel gangrænam efficiet.

Quartam cauſam ponit, dicens. Et nocumenta animalia ex animi anguſtijs, curis & ſolicitudinibus, addatur triſtitia, ira, odio, mȩrore, ac furore. Ex his enim fiunt vigiliæ, cruditates, & corruptiones in nutrimento, & in humoribus, vt ſi ſemi corrumpantur, facient abſceſſum; ſi verò omnimode gangrænam.

Nos aliquando vidimus in muliere quadam diuertente in aula clariſsimi olim Paduæ Præfecti, quæ impenſiſsimo animi mȩrore obſita ex duobus, & nõ exigui quidem valoris perditis annulis, adeo corruptus fuit illi ſanguis, vt non modo à febre maligna; verum etiam à gangræna in ambabus mamillis, & dorſo correpta obierit.

Vt finem huic capiti imponamus, colligamus, vt diximus iam antea omnia egere materia, ex qua conſtent, & efficiente, à quo fiant: diximuſque has duas cauſas tamquam principaliores in procreandis hiſce affectibus ab Auicenna poſitas eſſe: etenim in his, quæ ex coincidentia fiunt, materialis cauſa erat multitudo materiȩ affluxæ, vel influentis: quia ex libro de ſymptomatum cauſis, tumorum cauſæ ſunt humorum affluxus, hic eſt affluxus: quia poſt phlegmonem, & abſceſſus, & gangrȩna inſequuntur. Erat cauſa efficiens collectio, tamquam cauſa remota; ſed corruptio tamquam cauſa propinqua: quia conſtricta materia expirare non potens, putreſcit, & calorem pro corruptione extraneum excitat, qui, vt ait Galen. 2. Apho. 47. facit ebullitionem, & exuſtionem in ſanguine; at vbi ex toto exuſtus

fuerit,

fuerit, reſiduum eius fit pus, qui ſi olidus fuerit, putrefactio dicetur: quemadmodum ex lignorum vſtione cinis fit: nam ſi eſt album, lene, & æquale, & non olidum, bonum fiet pus; at ſi liueat, vel nigreſcat, & malè oleat, putrefactio fiet. Diximus deinde accidentia animi, & accidentia mala, eſſe cauſas efficiẽtes putredinem agendo, ſ. in materiam calefaciendo eam, vt corrumpatur: quia 5. ſimpl. cap. 14. multis modis corrũpi quid poteſt, aut nimium calefactum, aut nimis refrigeratum: exercitia mala, & animi languores agunt in materiam, vel calefaciendo vt corrumpatur, vel refrigerando, cum auertant calorem ad exteriora, vt exinde putrefactio fiat. Materia autem erat duplex, vel faciundi humoris, vel ipſiuſmet facti. Faciundi, erat cibus vſque ad nauſeatiuam ſatietatem ingeſtus, qui talem materiam pro corruptione fienda procreare erat aptus. Facti verò, erat materia in corpore ægro diu contenta, atque concluſa manente, & demum corrupta, & per vias iam dictas apparentes, non euacuata; ſed ad cutim tranſmiſſa, quæ cauſa immediata erat illorum tumorum, ſicuti mediata erat nauſeatiua ciborum ſacietas.

Quis humor, quæve membra faciliter, aut difficulter putreſcant, Caput octauum.

DIXIMVS hucuſque humores, & membra pũtreſcere: quia putredo accidens quæ in ambobus conſiſtunt, vlcere, & tumore ambiente, phagedænam appellant.

Ad ſecundum Gal. in eodem libro ait. Depaſcitur quidem, & herpes vicina erodens, verùm ſolius cutis eſt exulceratio; phagedæna verò cum cute pariter ſubiecta attingit.

Differt phagedæna à cancro vlcerato 14. Methodi, quia cancer vlceratus eſt cum tumore duro, aſpero, & ſubcauato: phagedæna autem tumorem habet æqualem, nec durum, & habet vlcus non tam aſperum. Craſsiſsima cancri eſt materia, media verò phagedænæ inter cancrum, & herpetem. Differt phagedæna

gedæna à Noma 6. Cathag. cap. 1. eò quòd Noma est vlcus putridum, & depascens cum febre: phagedæna verò vicina quidem depascitur, non tamen ea putrefacit, neque febrem infert, quod is quæ cum putrilagine sunt accidit.

De prognosticis.

QVINTO Apho. 22. nihil mali potest euenire vlceri probe pus mouenti: mala igitur sunt vlcera cancerosa, telepha, & phagedænica: quia hæc omnia non suppurantur.

Hippo. de aere, locis, & aquis. Et phagedænas addentes ex omni occasione oboriri verissimum est, si vlcus fiat. Nam superius dixit: Si æstas sicca fuerit citius sedantur morbi, si verò pluuiosa diuturni fiunt.

Celsus in 5. de theriomate, Fit maximè in senibus, & corporibus mali habitus, & vtraque sunt mala: Ergo mala erit phagedæna in eis nascens.

Item dixit, Si sub his nihil proficitur, ferro locus aduri debet: Ergo malus morbus: quia extrema cura eget.

Vltimò Gal. in lib. de atra bile, dixit: Ego autem insanabilia esse omnia quæ propter atram bilem exulcerata sunt affirmaui, nisi quis sanationem vocare velit, quando partem affectam orbiculatim, ad sanam, atq; integram vsq; vniuersam excideris.

De cura phagedænæ per victum.

MONET Scribonius Largus in Epistola ad Caium Iulium Calixtum, nos, quòd medicina per gradus languentibus succurrit, primum cibis ratione, aptoque tempore datis medicina tentat prodesse languentibus: deinde si ad hos nõ responderit curatio, ad medicamentorum recurrit vim: præstantiora etenim, & efficaciora hæc quam cibi sunt.

Si adhuc difficultates aduersæ valetudinis non cesserint, ad

sectionem, subinde ad vstionem deuenit. Igitur in præsenti capite de victu, in sequenti de pharmaco interno: in cæteris, & reliquis de pharmaco externo, & ferro, & igne tractabimus, & de his, quæ à proprietate occulta valent in hoc morbo.

Phagedæna igitur cum sit affectio carnem vorans ex torrida bile, igitur bili tamquam causæ in primis resistemus: subinde verò voracitati, & vlceri cum topicis prospiciemus.

Stat igitur sententia Galeni 14. Metho. quòd in phagedæna, & cancro exulcerato curandis, communis sit scopus, vt inhibeatur primum humoris affluxio, postea vt sanetur vlcus. Inhibetur autem si obuiauimus eius generationi, & hoc fit victu parco, boni succi, & alterante, vt humoris copia, & qualitati aduersetur, subinde vt genitam materiam euacuemus, sed euacuationem præcedit alteratio quam præcedit lenitio, & eis victus ratio anteit. Ergo primum instituatur victus, quoniam ait Hippoc. in lib. de vlceribus, modicus cibus, & aquæ potus quam maximè omnibus vlceribus conducunt: quod confirmat Celsus lib. 5. cap. de theriomate, dicens. Ac primum à victus ratione ordiendum est, & vt quiescat lectulo, vtque primis diebus à cibo abstineat, & aquam potet quamplurimam. Deinde post inflammationem cibum boni succi capiat, vitatis omnibus acribus, potionis quantum volet exhibendum est, sic vt inter alia quidem aqua contentus sit, in cœna etiam vini austeri aliquid bibat. Nos autem primis diebus panatellam in aqua saccharo coctam, & cum seminibus melonis conditam deuorandam tradimus, & aquæ potum, post septimam carnes pulli, vel hædi, vel vituli, vel palumbi coctas cum soncho, vel portulaca, vel lupulis, vel endiuia, vel buglossa, vel borragine, vel acetosa exhibemus, comedatque orizam, & far, & pedes vitulinos, pisces saxatiles, & vinum tenue potet.

De cura per pharmacum internum.

BENIATVR aluus ex mellis rosati solutiui, & syrupi de fumaria solutiui ana vnc. 2. cum sero lactis fiat potio.

Vel recipe flor. casiæ nouiter extractæ vnc. 1. tamarind. vnc. s. cum succharo fiat bolus.

Post alui lenitionem sequitur alterans, quòd recipe syrupi de soncho, de fumaria simpl. ana vnc. 1. aquar. lupulorum, borraginis ana vnc. 2. ex quibus per tres dies accipiatur: quarta die si plethora cum cacochymia coniuncta est, etiã phlebotomia ex vena epatica erit facienda, & postmodum adhuc duos syrupos accipiat.

Postea hoc solutiuum absorbeat, Recipe de fumaria solutiui vnc. 4. rad. hellebori nigri præparati scrup. 1. seri lactis q. s. fiat potio.

Vel recipe flor. casiæ nouiter extractæ drach. 6. confect. hamech drach. 4. aquæ acetosæ q. s. fiat potus.

Finita hac purgatione prima, ad maiora alterantia: quia morbus magnus est deuenire oportet. Igitur accipiatur syr. de cichorea comp. sine rhabarbaro, de fumaria solut. ana vnc. 1. aqua cardui sancti, & sonchi ana vnc. 2. m.

Facta coctione accipiat sex syrupos solutiuos alternis diebus, videlicet, Recipe fol. senæ, facchari rosati ana vnc. s. hellebori nigri præparati scrup. s. seri lactis vnc. 8. infundãtur per noctem omnia simul, postea leuiter parum bulliant excolentur, & exprimantur. Verum in diebus, in quibus non accipit solutiuum, bibat summo mane decoctum ranarum, vel chamarorum in lacte coctorum lib. 1. cum semiuncia succhari rosati: hoc enim materiei calorem, & siccitatem absumit.

Quidam ex modernis memoriæ prodidit pro malignitate sedanda, nos vti interdum debere theriaca, vel mithridato: interdum autem ad opiata deuenire cum decocto linariæ herbę in vino exhibeatur.

De topicis auxilijs.

FINITA causæ inhibitione, veniendum est ad affectum tollendum topicis auxilijs. Resistendum igitur est in primis non tantum causę, sed & semper inuasioni, & corrosioni, tum intro, tum extra, in quo agendo, Græci pariter, & Arabes prisci, & moderni concordati sunt in frigidorum, stipticorumque vsu.

Morbus enim calidissimus cum sit, frigidis moderatur, inuasio, & erosio stipticis cohercetur, vlcus: quia humet siccitate eget, quo fit, vt frigidum, siccum, & stipticum pharmacum esse debeat. Igitur fiat emplastrum ex malicorio, balaustijs, plantagine, cauda equina in vino austero bullitis, & postea tritis, ex quo.s. decocto fiat fotus, & cæteris contritis fiat cataplasma.

In augmento, accipiantur folia oleæ, caulium rubicorum, apij & cardui benedicti ana p.æquales, fol. plantaginis dimidium illorum omnium, coque vel in aqua cum modico omphacio intus, vel in aqua plantaginis, vel in sero lactis, & fiat fotus, & cataplasma: vel interdum coquatur in vino dulci, vel aqua rosata, secundum vel lenire, vel repellere licet.

In statu accipiantur passularum, & caricarum contritissimarum ana libr.1. pul. cardui benedicti, & fol. ficulneorum ana vnc.2. oleæ vnc.3. coq. cum mulso, & postea terantur, & ex decocto fiat fotus, & ex reliquis contritis fiat cataplasma.

Vel recipe radic. cucumeris syluest. & fol. cardui ana p. æq. & fol. oleæ ad pondus omnium in vino mulso coquantur, & fiat supra.

Ex vnguentis verò intus, & extra apponendis hæc sunt: Vnguentum Aegyptium Auic. cui loco aceti imponatur vini granatorum, vel omphacij q.s.

Extra verò ne inuasio serpat, fiat vnguentum hoc, quòd recipe lithargyri loti in aqua rosata lib.1. olei ros. compl. optimi libr.2. aluminis drach.3. coquatur ad emplastri formam, & circumstantibus applicata.

In declinatione etiam probatur intus medicamentum Isis,

vel diacartha cum cerato rhodino exceptis. Extra autem in circumſtantibus bolus armena, vel terra lemnia diſſoluatur in aqua roſata, & liniatur.

Paulus in quarto, apponit Altercam cum polenta, aut mel cum braſsica.

Galenus ad phlegmonas in augmento vſurpat 1. Cathageni cap.4.phænicum ex vino auſtero, & rhodino dilutum.

Si his non ceſſerit, iubet Auic. de vlcere cōmedente ſe, vt euacuetur adſtrictus humor malus,& euocetur à centro ad circumferentiam in circumſtantibus exiſtens cum ventoſis, vel hirudinibus multis membro affixis, & poſtea alteretur mala intemperies cum fotibus, & emplaſtris ſupra deſcriptis. Vel hoc,quòd ab Hippo. in lib. de vlceribus deſcribitur, conſtans ex verbaſco, & liguſtro in vino coctis.

Si verò inuaſio non ceſſat, apponatur medicamentum Pauli in 4.lib. cap.6. ex ariſtolochia cum æquali portione ſucci fol. ricini cū æruginis parte, vel media, vel tertia, vel quarta,quod aqua roſata, vel vino auſtero excipiantur, vel elaterium cum ærugine, & omphacio exceptum.

Vulgò pro topico ad inuaſionem vſurpatur caro, vel vituli vel bouis, vel gallinæ contrita, & applicita, nec mirum eſt, ſi aliquid iuuaminis adferat cum caro, qua caro eſt, emplaſticā, & calidam, & humidam vim habeat, vt humoris acredinem, atque eroſionem cohercere valeat; præſertim cum ipſa aliqua portio rhu commiſceatur, quamuis ſcriptum ab antiquis, vel modernis nuſquam viderim, ſed quia rationi conſonum eſt, ideo & hoc apponere volui.

Si adhuc inuadit, veniendum eſt ad pyrotica leuia, qualia ſunt trochiſci Andronij, Muſæ, & paſsionis. Fortiora verò his ſemper aſcendendo ſunt, oleum de lateribus, de calce, de antimonio, de ærugine æris, de ſulphure, vltimo de calchāto.

At ſi hæc omnia ſpernat, quoniam ex lib.de atra bile Galeni ſententia ſtat, inſanabilia eſſe omnia, quæ propter atram bilem exulcerata ſunt, niſi quis ſanationem vocare velit partis affectæ exciſionem, ad quam ſequitur vſtio cum ferramentis ignitis, vt in cancro fieri aſſolet,ad quam ſequitur totius nigræ partis conſumptio. Præcipit enim Hipp. in lib.de diæta, quòd punguntur, & ſecantur à Medicis, quæ macida ſunt, & ſanantur

tur ac viuit homo: medicina namque id quòd moleſtat, tollet: & id, à quo homo ægrotat, auferens, ſanum facit. Igitur facta excisione, & vſtione relaxetur cruſta, mundetur vlcus, & impleatur, & conſolidetur.

De remedijs occultè agentibus.

AB occulta qualitate agere in hunc morbũ quidam aſſerunt linariæ decoctum per os aſſumptum, & pro lotione vſurpatum, aſperſo eiuſdem herbæ puluere, & ſuper ipſum folia eiuſdẽ herbæ in vino decoctæ, & contuſæ. At ſi mordens fuerit, plantaginis ſucco moderetur.

Aliud, quòd aſſumit, ſanguinem hominis phagedænam iam antea paſsi, & per petias tepentes eo madentes aſsiduatas mirificum eſt eius remedium.

Aliud aſſumens puluerem oſsium hominis ex membro oppoſito membri vlcerati, & in tenuiſsimum puluerem redigatur, loto in primis vlcere ex decoctione cineris cerui cum vino bulliti, & poſtea puluis aſpergatur, & folio caulis cooperiatur.

Non poſſum tacere medicamentum Machareonis in 5. Cathageni poſt itidem à Galeno depictum, ex quo in pillulas redacto, & per triginta dies ſingulo die pillula vna aſſumatur ad nucis auellanæ magnitudinem, & ſupra illud idem emplaſtrũ apponatur, mirificè omnem paſsionem phagedænicam tollit.

Alterum medicamentum vſurpatur in hoc morbi genere, quòd recipe lentium coctarum in aceto acerrimo libr. 2. fol. periclymini contritorũ libr. 1. boli armeni orientalis vnc. 2. aq. roſarum & ſcordij q. ſ. fiat emplaſtrum.

Aliud, quòd recipe trium granat. contrit. libr. 1. fol. plantaginis, oleæ, ſaluiæ, periclyminij omnium contritorum ana libr. s. ferreti Hiſpanici præpar. vnc. 2. aquarum ſolani, plantaginis, cardui benedicti ana q. ſ. infundantur per noctem omnia ſimul, & poſtea coquantur ad conſumptionem tertiæ partis aquarũ, & exprimantur, & colentur. Hæc verò colatura bulliat vſque ad mellis lentorem, vt fiat in forma vnguenti.

De multis pastillis, qui possunt vsurpari in hoc casu.

PRIMO est pastillus Andronij. Recipe balaustiorum drach.10. gallarum drach.8. myrrhæ drach.4.rad.aristolochiæ rotundæ drach.4.calchanti viridis, aluminis vsti ana drach.2.calchãti lasurij tantundem cum passo formentur pastilli.

Pollides Sphrugis,recipe aluminis vsti drach.3.thuris drach. 4. myrrhæ tantundem, calchanti drach.2.balust. drach.12. fellis taurini drach.6.aloes drach.8.vino austero conficiantur.

Pasionis pastillus, recipe arsenici, squamæ æris ana drach. 2. calchanti drach.1. auripigmenti drach.2.myrrhæ,thuris,gallæ ana drach.1.chartæ craſsæ crematæ drach.4.tritis cum rosaceo vtitor.

Heraclidis pastillus, recipe gallæ drach.6. arsenici, auripigmenti, squamæ æris ana drach. 4. thuris, calchanti ana drach. 3. myrrhæ drach. 2. chartæ combustæ drach. 8. passo fingantur pastillo.

Bitinus pastillus,recipe corticis mali punici,gallæ ana drac. 6. iridis illyricæ drach.4. aristolochiæ drach. 6. calchanti viridis drach.3. aluminis vsti drach.6. calchanti lasurij, & calchanti cyprij ana drach.3.nitri, thuris ana drach.2. cadmiæ drach. 3. squamæ æris drach. 4. boracis naturalis drach. 2. ex aceto sub caniculæ ortu parentur orbiculi.

Pastillus Musæ, recipe aluminis vsti, aloes,myrrhæ,calchanti ana drach.6. croci,& crocomagmatis ana drach.3.balaustiarum drach.4. & mulsa fiant orbiculi.

Pastillus Tharentini, recipe auripigmenti, calchanti, lasurij, & viridis,aluminis vsti ana drach.2. myrrhæ, squamæ æris, aloes, calchanti cyprij ana drach.3. sumachior. balaustiarum, gallarum, floris rosarum ana drach. 4. acaciæ drach. 8. cort. granatorum drach.7. excipiantur ex decocto myrthi in vino ad dimidias decoque.

Pastillus ex stirpibus, recipe malicorij, fol.myrthi, putaminum nucis, fructus spinæ ana vnc. 8. gallæ drach. 4. salis gem-

mæ drach.8. omnia comminuantur, s. friabilia in aceto, & in aceto impinguntur, & in vas fictile ponuntur, deinde terrentur, & cum aceto leuigantur, vbi verò bene habuerint; myrrhę denarios 4. thuris denarios 2. inijcito, & pastillos fingito. Vsus eorum est cum aceto.

Istis igitur à nobis descriptis pastillis vtimur tum in gangræna, tum in herpete, & in phagedæna, & in cancro: quia diuersi sunt: igitur ad diuersa accommodantur secundum quod magis vel vstionem, vel stipticitatem, vel siccitatem requirunt.

Quia superius mentio facta est emplastri Macherionis, igitur non ab re eius descriptionem ponam, vt exinde habeamus. Vtrum phagedæni, vt ait Macherio, respondeat, & vtrum tutò per os exhiberi queat, & an pillula vna ipsius ponderis, & magnitudinis fabæ sufficiat ad reducendum vires suas ad membrum phagedænicum, ne disperdantur in via.

Ad primum.

Recipe aristolochiæ rotundæ, iridis, æruginis rasæ, myrrhę, galbani, opopanacis, ammoniaci ana vnc. 1. terebinthinæ, olei omphacini ana vnc. 6. s. ceræ vnc. 60. s. misce, & fiat cerotum.

Ad secundum.

Ait Macherio, pillula inde sumpta fabæ magnitudinis triginta diebus, ad omnem passionem maximè phagedænicam facit. Cur id facit? quia primò naturalium facultatum ait Galenus ex Hippocr. Quandoque naturam appellari iustam. Interdũ solam animalibus sufficere dixit ad omnia, & ipsam per se sine Doctore, quæ opus sunt agere.

Ergò cum sit iusta, dabit cuique quod suum est: dabit igitur calori, & inuasioni oleum omphacinum: quia friget, & stipticat. Acrori dabit emplastica, idest ceram, & terebinthinam. Duritiei mollitionem, videlicet cum galbano, ammoniaco, & opopanace. Nec mirum est, si insit durities: quia si in herpete à tenuiori humore facto, præcipuè in antiquato inest durities: quanto magis inerit phagedænæ, cuius humor in duritie proximus est cancro? Mucori dabit abstergentia, videlicet aristolochiam, iridem, myrrham, & æruginem. Fœtori dabit

totam

totam compositionem: quia constat tota ex siccis. Ergò quia tota vires has omnes in hoc pharmaco conclusas alacriter reducet de potentia ad actum, vt vlceri tali sit auxilio: quia phagedænæ respondet ex quadrato. Si sola sufficit ad omnia facienda in corpore nostro, quanto citius, ac melius à tali, ac tanto pharmaco adiuta.

Ad tertium.

Dico, quòd tuto potest dari per os: quia omnia, quæ in hoc pharmaco intrant, in pillulis deuorantur quotidie, excepta ærugine, quæ ab emplasticis cohercita est, vt à cera, terebinthina, & oleositate olei.

Ex quo perexigua est in quantitate, nam est septuagesima nona pars totius compositi: ergo vmbra potius, quàm corpus est. Deinde si Dioscorides lib. 5. cap. de calchanto, exhibet calchantum in dosi drach. 1. cum melle ad fugandas interaneorum tineas, cum tamen vrat, & exigua pars correctiui sit, idest mellis: quanto magis ærugo à tantis, & in tam vasta copia existentibus correctiuis tutò dari potest, cum præcipuè eius vis tantum vnica sit, s. corrosiua? At in calchanto, quia acris est corrodit: quia superfluè calet, vrit. Deinde si Dalmatæ felici cum successu dant drach. 1. æruginis in hydrope in scutella lactis: quanto magis pillula vna istius emplastri poterit impunè dari per os?

Posuit enim Macherio æruginem ferè pro basi istius pharmaci. Nam 2. Canonis Auic. ait cap. de Ziniar, idest de ærugine æris, prohibet vlcera ambulatiua, & consolidat ea, & cum cerato mundat vlcera sordida: Ergo erit alexipharmacum phagedænæ.

Ad quartum.

Alterant medicamenta nostrum corpus, cum scilicet fuerint actuata à calore nostro, sicuti nutriunt cibaria cum à calore nostro natiuo commutata in nostram substãtiam fuerint, & per vniuersum distributa. Sic pariter & medicamenti huius vis diffunditur à natura nostra vsque ad phagedænicum membrum, vt pulmonaria pulmoni, epatica epati, iua artubus, &c. Ergo tam intro, quàm extra assumptum, & appositum sanabit

phage-

phagedænam, & præcipuè corpore prius optimè purgato. Gerit enim vices tunc theriacæ, quę non nisi corpore malis humoribus vacuo datur, alioquin minimè tuto exhibetur. Quæ pillula à natiuo calore in pattes diuisa, & resoluta in vapores vnà cum sanguine ad phagedænicum membrum deriuat, ibique suum munus exercet.

Ad vltimum.

Dico, quòd tametsi in tam exigua quantitate exhibeatur, non ob id eius vis antequam ad locum læsum attingat, dissipatur. Nam Macherio tam exiguam dosim non præscripsisset, nisi multoties in tali dosi eximium hoc pharmacum experimento compertum fuisset, & profecisset. Secundò dico, quòd hæc parua dosis per triginta dies frequentata, fortis adeò reddita fuit, vt opus tale efficere posset per virium quotidianarum successionem assiduam, vt de mercidato in quotidiano vsu exhibito, & de napelo in Regina illa narratur, quæ duo assidue sumpta conuerterunt vtentes in naturam rei vsæ.

Item mora in balneo magno Sancti Petri per horam ante cibum per diaphorixim, & per consumptionem illius humoris aeris valet. Necnon & aqua ligni per sexaginta diebus pota, & aplicita.

MAR-

MARCI ANTONII MONTAGNANAE MEDICI PATAVINI TRACTATVS,

DE GANGRENAE, ET SPHACELI cognitione, & cura.

De his nominibus cognoſcendis. *Cap. I.*

QVA arte dici, cognoſci, curarique poſſit, ſemi, vel omnimodè extinctum membrum, noſtra hæc dicet oratio. Præſertim cum de his rebus à maioribus noſtris imperfectè traditum ſit: Ob id hoc non parum negotij prębet. Sed laboris noſtri vnicum ſolatium erit Aeſchili dictum, quod facientem Dij adiuuant. Sperandum igitur nobis facientibus, & in tam diro morbo tractãdo Deum Optimum Maximum nobis non defuturum. Nam, vt Homerus ait, Iouem pro voluntate mortalibus modo virtutem minuere, modo eandem augere ſolitum eſſe. Proinde Deum Optimum Maximum noſtro labori huic non defuturum ſperãmus, virtutemque noſtram ampliando fouebit: nam quæ ſemi perfecta ſunt, ad finem perducere, & quoad vires noſtræ permiſerint, abſoluere ſtudemus, nec aliorum maledicta calumnijs afficiemus, quoniam inſtitutum noſtrum ſtruere eſt, & non deſtruere.

Exor-

Exordium igitur huius nostræ tractationis erit Ciceronis dictum, 1. de Officijs dicentis. Omnis, quæ de aliqua re suscipitur institutio, debet à definitione proficisci, vt intelligatur quid sit id, de quo disputatur. Etenim finitiones aliæ sunt, quæ vocis, aliæ verò quæ rei omnimodam naturam declarant. Priores notionales, aliæ verò essentiales ab omnibus appellantur. Cæterum cum omnis disciplinæ initium sit ex Galeno 4. de differentijs pulsuum cap. 9. à notionali in essentialem descensus, meritò ibidem, sed cap. 2. redarguuntur illi, qui solam essentialem proponunt, neglecta notionali finitione. Proinde ne ipsi quoque ab eo redarguamur, ambas definitiones chartis nostris affigemus, tamquam totius huius nostræ fabricæ carinam, quibus vt accidens subiecto, hæc pariter tractatio tota illis innitetur.

Sed antequam eas enarrare aggrediamur, quemadmodum affectio hæc nominetur, & cur sic ab authoribus dicatur, declarabimus, vt maior lux finitionibus deinceps tradendis exhibeatur.

Galenus itaque 2. Metho. monet, vt qui alterum docere intendit, quæ ipse tenet, nominibus pro rebus, vel vt alijs magis placet, propter res, vtatur: nam authore Platone in Cratylo, ea inuenta sunt, vt sint aptissima instrumenta ad declarandas rerum naturas. Rerum siquidem naturæ, vel significantur, vel funditus declarantur. Significantur per nomen appositum, & proprium, nec metaphoricum, & vnicum per eam rem aperiemus, vt herpes: quia repit, de quo nominū significato hoc in primo capite funditus tractabitur, sicuti in secundo de notionali finitione, & in tertio de essentiali agetur: nam si naturam cuiusque rei non omnimodè aperire studemus, pluribus nominibus verbis coniunctis vtemur, vt in notionali, vel funditus essentiam rei declarare debemus: hoc fiet per verba nominibus coniuncta; sed rem intimius, & medullitus aperientia, vt in essentiali finitione fiet.

Sed vt ad rem de nominibus tractandam propius accedere videamur, nomina ita distinguemus ex Galeno de morborum temporibus, & de symptomatum differentijs, dicentis; Interdum vsurpatis vtendum esse, interdum verò translatis, interdum abusiuis, nōnumquam verò fictis, dummodo à patrio ser-

F mone

mone non ſint aliena. Quærendum igitur erit, an inter vſurpata, vel inter tranſlata, vel inter ficta, vel abuſa, hoc nomen Gangræna,& Sphacelum recondi debeat? Reſpondetur,quòd eſt primitus inter vſurpata, quæ ex Galeno in lib. de morborũ temporibus lex erat, vt quarum rerum nomina apud vetuſtiores vſurpata inueniamus, eis vtamur, quod quidem omnes Græci hucuſque fecerunt.

Sunt & etiam tranſlata ex Galeno ibidem dicente,Quarum verò non habemus, vel ab aliquo eorum, quæ apud nos ſunt transferamus: nam viderunt membrum à gangræna tentatum à morte quaſi vorari: & quod à ſphacelo opprimebatur, quaſi fulmine mortificatum eſſe, ideo huic gangrænæ, & illi ſphacelum dixêre, transferentes voraginem in mortificationem,& fulminationem in mortem. Sunt etiam ficta, quia nihil veri indicant: nam vorare non eſt mortificare, & fulminare non eſt emortuum eſſe. Sunt etiam abuſiuè vſurpata, cum propriora eis reperiantur. nã authore Galeno in libro, cui titulus eſt, In linguis, pro gangræna, rectius dicetur Acroſapes, i. leuiter putrefactum. Item apud omnes Græcos loco ſiderationis,felicius collocabitur Nerromenon, ideſt emortuum, quàm ſphacelum: nam hoc nomen ſphacelum in ſe retinet vim metonymiæ figuræ, in quo ponitur cauſa pro cauſato: nam fulminatio eſt cauſa: cauſatum verò à fulmine mortificatio, ſ. eſt cauſatũ. Igitur & quid, pro quo, & metaphoricum appellãdum eſt: hæc autem duo nomina à nobis deſcripta non ſunt à patrio ſermone Græcorum aliena, ſed ab ipſis etiam vſurpata, etſi in hunc locum inſueta videantur. voluit etiam ibi Galenus nomina nõ eſſe à patrio ſermone aliena, ne aliorum authorum linguæ ab alienis authoribus interpretatione indigeant, quemadmodum aſſeruit Gal.cap.38.libri,An ars,&c.dicens: Siue Aſſyriorum, aut Arabum, aut Aethiopum linguæ,&c. vocabulum ſi ab ipſis authoribus percontanda vocis illius interpretatio eſt.

Quod hæc duo iã dicta nomina ſint huic affectioni propria ſic probatur: Illud eſt nomen alicuius rei proprium, cuius natura immediate per id declaratur, ſed huius mali initium eſt ſemimortificare, & non vorare, quod per hoc nomen Acroſapes, ideſt leuiter mortificatum, vel corruptum ſignificatur. At cum hæc affectio finem ſuum acquiſiuerit, totum membrum

emor-

emortuum est, quod per necromenon, idest emortuum exprimitur, & non per fulminatum. Ergo hæc duo erunt vera, propria, & ex vocibus à Græcis vsitatis, & à patrio Græcorum sermone non alienis vsurpanda pro iam dictis.

Quod nec plura, nec pauciora duobus sint hæc nomina, sic ostenditur: Mutationes in moriente membro duæ tantū sunt, & non plures, nec pauciores; quarum prior imperfecta est, reliqua verò perfecta dicitur, prima pro acrosapes, secunda per necromenon significatur, ergo tantum duo erunt nomina. Instabit aliquis contra nos, dicens: Inter extrema datur mediū, Ergo tertium erit nomen dandum. Respondeo, quòd Galen. in libro de fracturis commen.4.commen.17. Magnam gangrænam vsurpari pro sphacelo, & sphacelum esse gangrænæ terminum: Ergo non datur medium. Cæterum omnes authores tā ex Græcis, quàm ex Arabibus, & Latinis, duo tantum nomina posuere; nam Græci gangrænam, & sphacelum; Arabes gangrænam, & aschachilum, Latini, vt Celsus gangrænam, & cancrum in binario numero semper coniunxere. Instaret adhuc aliquis dicens, Sunt tres, Ergo non duo, assumptum probatur: quia Celsus in 5. gangrænam, & cancrum dixit, sed in 6. capite de phagedæna in colle nascente addidit illud tertium, cum dixit, phagedænam esse de genere cancri, idest sphaceli, & ijsdem tolli præsidijs: Ergò tertium erit nomen. Respondetur, quòd quamuis dixit esse de genere cancri, nō ob id est tertia species, nec tertium nomen: quia est vorare symptoma expressum per phagedænam biliosæ gangrænæ, & non alterius morbi. Nec valet, ijsdem tolli remedijs vltimis, s. ferro, & igne: Ergo distinctus morbus, & distinctus nomen, quia sequeretur hoc, quod cancer à Celso appellatum carcinoma, & phagedæna à Celso appellata herpes esthiomenos, esset vnum & idem cum gangræna, quamuis sint distincti materia, forma, & accidente, & vna, & eadem cura curantur, s. ferro, & igne: hoc autem est falsum. Ergo id, quòd sequitur ex hoc.

Vltimò instaret aliquis, sunt quatuor, ergo non sunt duo nomina. Assumptum probatur per Auicennam in titulo capitis proprij, dum ait de corrosione, ab antiquo exemplari esthiomeno dicitur, & de putrefactione, & de differentia inter gangrænam, & aschachilum, & hæc sunt quatuor nomina: Ergò

non ſunt tantum duo. Reſpondetur, quòd cum dixit de corroſione, ſeu de eſthiomeno, non intellexit nouum nomen, nec morbum nouum, ſed accidens ſubſequens ad bilioſam mortificationẽ. Cũ verò dixit de putrefactione, non dixit nouũ nomen, nec nouum morbum, quia ſi ea incipit, & ſemiprogreſſa eſt, gangræna appellatur. Si verò perfecta eſt, Aſchachylum ab eo dicitur, & ſic ſunt tantum duo, & nec plura, nec pauciora nomina.

At quoniam nominum declaratio pendet ex eorum deriuatione, igitur vt finem huic capiti de nominibus imponamus, omnium nominum ab authoribus in hoc morbo poſitorum. Ethymon accuratè tractabimus, ne vlla definitionibus in noſtris ambiguitas fiat, pro quo declarando illud in primis memoriæ mandare oportet quamplura eſſe ex nominibus, & eo magis ex rectè inſtitutis, quæ deriuationem habent ab aliquo priori, ſiue verbo, ſiue nomine, à quo proprium ſignificatum ducant, quædam exemplificat Gal. in commen. 3. commen. 36. libri de his, quæ fiunt in officina Medici, cum ait, Ethmalyn, i. fulcire ſignificatum hoc deductum eſt à potu ethmaton, hoc eſt à fulcimentis.

Non deſunt in caſu noſtro exempla, & primum eſt Acroſapes, quæ vox compoſita eſt ex Acron, quæ ſignificat ſummitatem rei, & ſapes, quod eſt putrefactum, quaſi dicat leuiter putrefactum, vel ſemiputridum ex Galeni ſententia in libro dicto In linguis.

Dicitur necromenon à necroo verbo, ideſt mortifico, q. d. emortuum.

Dicitur gangræna, ideſt voratrix, à Græco verbo antiquo, i. voro, comedo, vel corrodo.

Dicitur Sphacelus, ideſt ſideratio, ſeu fulminatio, deſcendit à verbo ſphaceliro, ideſt fulmino.

Dicitur ab Auicenna Aſchachilos corrupta voce pro ſphacelo, & eius interpretatio accipiatur ab ea, quæ dicta eſt de ſphacelo: præſertim cum Arabicarum vocum interpres nullũ ſignificatum iſtius vocis Aſchachili declarauerit, & ab Auicenna pro ſphacelo ſemper vſurpetur.

Dicitur ab Auicenna eſthiomenos, ideſt depaſcens, ſeu corrodens: deſcendit enim ab Aeſthyro verbo, ideſt depaſco, comedo

medo, vel corrodo.

Dicitur à Celso phagedæna, quamuis impropriè, & est verbum compositum ex phago, & ænos, ideſt grauiter edens.

Dicitur à Celso cancer, & non temerè intuente animalis illius liuorem, feritatem, & tenacitatem. Nam ſicuti hoc animal diuelli non poteſt à membro, in quo per morſum inſeritur, niſi ægrè, & magno cum damno, ita pariter is morbus. Vel hæc detracta eſt vocis nomenclatura à cancro morbo, qui non niſi ferro, & igne tollitur, ſic itaque morbus his non niſi eiſdem præſidijs aufertur.

De notionalibus finitionibus tum gangrænæ, tum sphaceli. Cap. II.

NE de extremo in extremũ noſtra labatur oratio, poſt nominũ declarationẽ, quę cuiuſq; rei valde extima eſt cognitio: ſequitur vt de penitiori agamus, à notionali ſumentes initium: non enim longè abeſt à nominis interpretatione, nec multum diſſonat à ſubſtantiali finitione, quoniam hæc eſt via ad ipſam. Officium cuius eſt 4. de differentijs pulſuum cap. 2. vt ſit omnibus teſtata eodem ſermone vtentibus, debetque illius rei explicandæ ex ſe ipſa fidem facere perſpicua tantum explicans, & ad rei eſſentiam minimè aſpiramus. Cum igitur ab omnibus, tum Græcis, tum Latinis, & Arabibus teſtatum eſt, gangrænam eſſe mortificationem, per quam fides fit, cum hæc perſpicuum narramus, dicentes: Mortificationem talem ex magna phlegmone factam eſſe, nec ad rei eſſentiam omnimodè aſpiramus, cum longè abſit hæc ſuperficialis definitio à noſtra intima eſſentiali, quæ in capite ſequenti tradetur.

Ex notionalibus igitur prima eſt Galeni 2. ad Glaucon. cap. proprio, dicentis: Gangrænam eſſe non omnimodam carnis mortificationem ex magna phlegmone factam. Idem Paulus, Aetius, Oribaſius, Auicenna, & Actuarius dixerunt.

Secunda ab hac eſt Galeni in libro de fracturis commen. 4. commen. 17. qui dixit gangrænam eſſe affectionem mediam

inter

inter magnam phlegmonem, & Sphacelum tanto inflammatione grauiorem: quan'ò Sphacelo leuiorem.

Galenus in libro de definitionibus Medicis, dixit: Gangrænam esse corporis mutationem à naturali cuiusque habitu in alienum, atque mortificationem cum vlceratione, vel citra hanc.

Sphacelum descripsit in libro de tumoribus præter naturam, dicens: Voco sic omnem solidarum partium corruptelam, vt ossibus innascatur: nedum vasis & crani.

At in secundo ad Glauc. dixit: Cum punctũ sectum vstumve fuerit affectum membrum, vt nihil sentiat eorum, quæ pati debet, tunc Sphacelum dicitur.

Consentit, & dissonat gangræna cum sphacelo, vt Gal. habet de tumoribus præter naturam: quia & gangręna solidorũ corporum quoque mortificatio est. Sed neque ossibus aduenit, & magnas phlegmonas comitatur species vna sphaceli existẽs, nam magna gangræna initium sphaceli est: sphacelus verò gangrænæ terminus est.

Differt, quia progressus ille omnis, qui fit in membro afflicto vsque dum non totaliter sensus perdatur gangræna dicitur. Cum verò iam omnimodè deperditum fuerit, sphacelũ dicitur.

Differunt modo curæ, nam gangrænæ cura semper corruptionis prohibitiua est, sphaceli autem curatio semper est corrupti abscisiua.

De substantiali nostra definitione includente simul gangrænam, & sphacelum. Cap. III.

EXPEDIT ex Gal. 4. de diff. pulf. post notionalem essentialem scriptis mandare, vt optimũ disciplinæ initium habeatur. Cuius officium est consentire cũ notionalibus, sed non in omnibus: quia ad se inuicem minimè dissiderent. Consentit igitur cum notionali per mortificationem in vtraque definitione positam. Dissentit verò à notionali:

tionali: quia hæc essentialis nostra definitio ad rei intimam essentiam omnimodè aspirat, vtpote quia rei naturam omnem expendit.

Quæ talis est, quod hic morbus sit tumor præter naturam mortificatiuus eius, in quo aduenit factus ab exquisita putredine simul cum venenositate non omninò in valde summo existente.

Definitum est, species: quia per Boetium in libro prædicabilium, sola species definitur, vel genus speciei specimen referens, vt est gangræna, & sphacelum, qui quidem sunt species sub tumore præter naturã contentæ tanquam sub genere suo.

Per quod definitur, est genus expressum per tumorem præter naturam: nam illud ambit omnia apostemata, quia genus potestate sub se species continet.

Cur est tumor præter naturam? quia hic morbus non est febris, quæ continetur sub morbo in intemperie, & non est quoque vulnus, nec vlcus, non est fractura, quæ contineatur sub morbo in soluta vnitate existente.

Ergo hæc affectio erit sub genere morbi in mala compositione existentis pendentis in magnitudine aucta: quia tumor est augmentum in longum, latum, & profundum, vt fusius infra dicetur.

Non desunt per quæ hoc malũ dissideat ab alijs, & hæ sunt differentiæ, quarum prima differentia est mortificatiuus, ad differentiam erisypelatis, phlegmonis, scirrhi, & œdematis, qui ex se ipsis non sunt mortificatiui.

Secunda differentia est, quod mors accidat illi, in quo aduenit, ad differentiam cæterorum tumorum alterantium tantum, & non mortificantium illud, in quo adueniunt, & vt cognoscatur morbum hunc esse accidens verè priuatiuum: quia adest cum subiecti corruptione, quod in alijs tumoribus præter naturam non ita contingit.

Tertia differentia est, quòd fiat ab exquisita putredine, ad differentiam abscessus, qui à semiputri, & non ab exquisitè putri materia fiunt.

Quarta differentia est, quòd fiat cum venenositate, ad differentiam eorum tumorum præter naturam, quorum materiæ non sunt venenosę, vt phlegmonis, erisypelatis, œdematis,

tis, & scirrhi,

Vltima differentia est, quòd hæc venenositas non sit in summo ad differentiam venenositatis in althoy, idest in bubone pestifero existentis, cuius nostra exquisitissimè venenosa est.

Tempus iam postulat, vt ad partes definitionis declarandas aggrediamur.

Quod hæc affectio sit tumor præter naturam. Cap. IIII.

PRIMA definitionis nostræ pars declaranda est, quod morbus hic sit tumor præter naturam, quod sic ostenditur. Non est morbus in intemperie, quia non curatur alteratione tantum, sed vt plurimum euacuatione, & abscissione. Non est in genere solutæ vnitatis tantum: quia nec vlcus semper, nec vnquam vulnus, aut contusio, aut fractura est. Ergo reliquum erit morbum hunc esse in genere malæ compositionis pendentis in magnitudine aucta à Gal. in lib. de tumoribus præter naturam, tumorem appellata: quia hoc membrum auctum est ex noua in ipsum acquisita substantia. Nam ex libro de symptomatum causis, tumorum causa est humorum affluxus, hic est affluxus, vel ex præcedenti phlegmone, vel ex maligna materia affluxa, nam 3.4. cap. de phlegmone Auicen. ait, Et multoties fit illud propter magnitudinem apostematis, & multitudinem materiei ipsius, vt Galen. etiam vbique voluit ad magnas phlegmonas insequi gangrænam: magnam igitur fuit inflammatio, ergo magnus affluxus: Ergo magnus tumor.

At si ex malignitate materiei hic morbus fiat, tumet quoque. Nam dicit Auicenna ibidem, & multoties fit illud cum malignitatis materiei si apostema fuerit prauum: siquidem in paruo apostemate, paucus est affluxus, & quamuis parcè maneat, non ob id tollitur, quin non tumeat. Ergò erit tumor præter naturam.

Siue sit ex ictu sagittæ veneficæ, vel morsu veneficarum he-

piarum

ſtiarum veneficarum, tumet: quia ad vtrunque ſequitur ſoluta vnitas, & mala intemperies venefica, & dolor magnus, & maleficus: Ergò affluxus, ergò tumor.

Siue ſit ex mala intemperie calida, aut frigida ſoluente continuum, vt exinde dolor, & affluxus, & tumor de neceſsitate ſequatur, ſoluitur: ſiquidem continuum à plurimo calore diuidente, ſubſtantiæ vnitatem, à ſummo frigore conſtipante, & exprimente ſoluitur continuum, vt dixit Gale. in lib. de mala intemperie cap. 8. Ergo dolor, & affluxus, & tumor. At in calce illius libri, ait: quicunque morbi partem aliquam vnam cũ tumore obſident, vt gangræna, cancer, &c. Ergò tumet, & præter naturam tumet, qui actiones illius membri mortificando vitiat.

Si quis prædictis fidem non adhibeat, audiat Auicen. primi cap. de ſignis apoſtematum, dicentem: Apparentia declarant ſenſus præſentia. Audiat quoque Gal. 1. de loc. aff. cap. 1. dicentem, partes quæ in ſuperficie conſtitutæ ſunt vnà cum affectuum ſpecie facilè ſenſibus deprehenduntur. Audiat denique Hippocr. in lib. de arte, dicentem: quæcunque oculorum conſpectum effugiunt, ea mentis oculis continentur, & ſuperantur: ergò quæ exteriora erunt oculis exterioribus, & tactu comprehendentur. Vltimò audiat eundem Hippocr. ibidem, dicentem: Qui enim ad interiora vertuntur, in obſcuro ſiti ſunt: qui verò ad ſuperficiem corporis erumpunt, aut tumeſcunt, manifeſti ſunt: exhibent enim ſeſe, vt tum viſu, tum tactu, & ſoliditas, & humiditas ipſorum percipiatur, & qui calidi ſint, quique frigidi ſentiantur. Igitur cum eminentia, amplitudo, tenſio, giboſitasque tangitur, & videtur, tumorem ineſſe infallibiliter credendum eſt, & præter naturam: quia actiones lędit.

Quod hic tumor sit mortificatiuus eius, in quo aduenit. Cap. V.

SECVNDA definitionis nostræ pars declaranda erat, quod tumor iste sit mortificatiuus eius in quo aduenit: Pro qua declaranda, sex quæsita ponemus, quorum primum erit, Cur mortificat. Secundum, An membrum tantum vnum, vel etiam totũ corpus mortificet simul. Tertium, Cur ad gangrænati membri interitum sequatur totius corporis exitium. Quartum, Cur si medicina liberat à morte, qualem dixit Hippoc. in lib. de Flatibus, ægri tam ex his, quàm ex alijs ægritudinibus moriuntur. Quintum, Si moritur æger, bene recta cura à Medico; an in Medicum causa mortis sit retorquenda, an non. Sextum, Cur ægri in sui perniciem tam lubenter delinquunt, vt mortem nanciscantur.

Ad primum mortificat, quia putrefacit, & putrefactio vitæ contraria est: quia ea mors est, quo igitur loci putrefactio aderit eò loci & mors erit, siquidem corruptio vna est ad putredinem, & putredo ad mortem, 4. Metheor. cap. 1.

Ad secundum respondet Gale. in lib. de tumoribus præter naturam, quod vtrunque moritur: ait enim hanc, nisi quis citò curauerit, membrum sic laborans facilè moritur, & vicinas sedes inuadit, & hominem iugulat.

Actius lib. 4. cap. 57. At priusquam membrum mortificetur, morbusque adhuc gangræna appellatur. Gangrænam in affecto loco compactam quamplurimam fieri potest truncabimus. Inde enim neruis, & arterijs oppressis, & refrigeratis mortificatio exoritur. Siquidem vita consistit in calido, & humido naturali. Ergo mortificatio erit refrigeratio, & siccitas.

Ad tertium respondebimus, Si iam dictis Galeni verbis addãtur aliqua alia verba tùm ab Aetio 14. lib. cap. 57. descripta, vnoque etiam ex nostris addito, Aetij verba sunt hæc, & singulis earum perniciem impartitur. Nostrum verò verbum est, successiuè, ac si Galen. diceret: Totam hanc verborum seriem, videlicet. Hanc nisi quis citò curauerit,

rit, membrum sic laborans facilè moritur, & vicinas sedes inuadit, ac earum singulis perniciem impartitur,& succesſiuè hominem iugulat. Diuisa itaq; in partes hac tota curatione,& seorsum singulis declaratis,causæ omnes istius mortis habebuntur, quæ quinque numero erunt.

Quarum prima est, tarda cura, dum dicit, hanc nisi quis citò curauerit: & secunda est mutatio gangrænæ in sphacelum, cum ait, membrũ sic laborans facilè moritur: tertia est sphacelismi inuasio, cum inquit, vicinas sedes inuadit: quarta est sphacelismi participatio secundùm omnem dimensionem, cum dicit, & singulis earum perniciem impartitur: quinta est succesſiua perniciei communicatio cum partibus longinquis ad cor, cum dicit, & succesſiuè hominem iugulat.

Prima causa sic declaratur, nam ea vel refertur ad infirmũ, vel ad Medicum. Si ad ægrum, vtpote quia verecundus fit,ne malum à Medico percipiatur, vel quia curæ timorem habeat, vnde ex gangræna sphacelum fit.

Si ad Medicum,vel quia negligens fuit in administrandis opportunis, & proprijs remedijs; vel quia ignarus fuit,nõ cognoscens imminentem sphacelismum; vel nimium misericors fuit in scarificando, ne dolorem incutiat infirmo,& ita ex gangræna in sphacelum deriuat. Vnde Aretheus.cap.1. in lib.1. curationum contra ægrum, & Medicum sic exclamat, dicens: Nullo pacto ægrotum silere oportet erubescentem,ne morbus à Medico deprehendatur. Neque ægrum aufugere debet vim curationis metuentem, neque Medicum pigrum ignauumque esse oportet: vtrumque enim ad morbum insanabilem efficiendum conducit.

Nam vt Hippoc.ait. ad Crathenam herbarium, ab omnibus artibus procrastinatio aliena esse debet: sed potisſimum à medicina, in qua dilatio vitæ periculum portat. Ergo sæpe pusillanimitas infirmorum, Medicorumque desidia, ac nimia humanitas mortem ægris conciliant.

Secundæ causæ declaratio est: Si negligatur gangræna, vt ait Gal.in lib. de fracturis sphacelum fit: quia sphacelus gangrænæ terminus est. Gangrænæ enim, teste Auicenna, viæ sunt ad sphacelum: quia ex semimorte in totam mortem deriuant, igitur rectè dixit; membrum sic à gangræna affectum,

ideſt ſemi morte facilè moritur, ſcilicet totaliter, & ſic ex gangræna ſphacelum fit.

Tertiæ cauſæ declaratio eſt, dicentis: vicinas partes inuadit, ſ. ſecundum omnem dimenſionem: quia ſphaceli eſt non tantum carnes, & vaſa, ſed oſſa quoque mortificare, atq; proſerpere: quia non tantum ſufficit ad hominis iugulum, quod in primis fuerit gangræna, & ſubinde in ſphacelum migrauerit; ſed opus eſt, vt ſphacelismus vicinas partes inuadat, quas per contactum putrefaciat, & tantam ſibi membri putrefacti amplitudinem adſciſcat, vt exinde tanquam ex indeficiente minæra tanta quantitas vaporum putridorum continuè tum generetur, tum ſubminiſtretur, quanta pro homine iugulando ſatisfaciat impartita, ſ. annexis pernicie.

Quarta cauſa declaranda eſt, vt ſingulis earum pernicies impartiatur: nam non ſufficit gangrænam in ſphacelum deſiſſe, nec ſphacelationem vicinis partibus communicatam eſſe, ſed opus eſt vt ſingulis partibus pernicies illa communicetur, vt exinde iugulatio fiat, vt infra melius declarabitur ſtatim.

Quæ ex quintæ partis declaratione feliciter patebit, in qua dicitur, & ſucceſsiuè hominem iugulat. Nam pernicies, ideſt mala, putriſque, ac venenoſa illa qualitas in membro ſphacelato exiſtens, ex ſublatis putridis vaporibus, ac maleficis fit ſucceſsiua irreptio per arterias ad cor, quæ cum vitæ inimica ſit, fit vt cordis facultas ab eis obruatur, atque ſuccumbat, & ſic hominem iugulet.

Ad quartum quæſitum, dicendum eſt: quòd quamuis Hipp. in lib. de Flatibus dicat, ægrotantes artis beneficio à maximis malis, & à morbis liberantur, à doloribus, à triſtitia, & à morte: omnibus enim his euidens medicina auxiliatrix reperitur: Dicendum ad hoc eſt, quòd ibi intelligit de morbis ſanabilibus, & per conſequens non de omnibus morbis. Nam de inſanabilibus loquens in lib. de arte, ait. Medicinæ eſſe morbos ſcilicet ſanabiles ab ægris in totum tollere, & morborum, ſ. inſanabilium vehementes impetus obtundere, & eorum, qui à morbis victi ſunt, curationem non aggredi, cum id in confeſſo ſit, quod medicina tales ſanare non poſsit.

Huius mortis cauſa per viam diſcurſus ſic aſsignari poteſt, vt ſic dicamus, ex morbis alios eſſe à natura tantum ſanabiles

vt cu-

vt cutaneum vulnus: alios verò à Medico tantum curabiles, vt luxatorum repositio: alios autem à natura & à Medico simul vincibiles, vt carnosum consutile vulnus. Alios denique nec à natura, nec à Medico superabiles, vt vulnera lethalia, & magnus sphacelismus, & cætera huiusmodi. Item sexto vulgariũ commen. 3. commen. 16. ait Galenus, Fieri mutationẽ in morbis ex Hippoc. vel ad salutem, vel ad perniciem, vel ad insigne momentum ad melius, vel ad peius. Nam vt D. Mesues, ait. Solus Deus est qui sanat omnes languores: quia teste Aretæo lib. 1. curationum cap. 5. Aegroti omnes sanari non possunt. Medicus enim Deorum potentiam anteiret, verum dolores sedare, morbos intercipere, seu obparare Medico fas est. Sed quid tandem moror in his? audiendus igitur erit Hipp. pro fine istius partis moliendo, in lib. prænotionum, dicens. Sanos equidem facere omnes ægrotos impossibile est. Hoc .n. præstantius esset, quàm prænoscere imposterum ventura, quãdoquidem homines moriuntur, alij prius quàm Medicum vocent ob morbi violentiam. Alij verò accito etiam Medico de repente vita decedunt, quidam diutius superstites sunt, sed moriuntur antequam Medicus per artem aduersus singulos morbos depugnet.

Ad quintum quæsitum respondet Hippo. in lib. de arte, dicens. Quia ægri neque qua parte laborant, neque ob quam causam laborent, neque quod ex præsentibus futurum sit, neque ex horũ similibus quid fiet, sciunt. Medici imperio subiacent dolentes quidem ob præsentia: timentes autem futura, pleni quidem morbo, inanes autem ciborum, ea quæ morbo grata sunt, quàm quæ ad sanitatem faciunt assumere malũt: mori quidem non amantes, sed tamen tolerare non potentes.

Ad vltimum respondet Eustratius super tertium cap. 6. Ethicorum, dicens: In medicina quæ ægrotantium salutem procurant, si nihil eorum quæ fieri possunt, Medicus prætermiserit, sed omnia accuratè, atque opportunè fecerit, æger autem nihilomagis propterea curatur; sed moritur, non est Medicus, qui errat; sed ipsa ægri natura, quæ materialis cum sit, incertitudine, & instabilitate prædita est, proculdubio erroris, & mortis causa est.

De

De ſpeciebus interituum tum corporis totius, tum verò particularis membri. *Cap. VI.*

QVIA diximus vniuerſum ſimul cum parte emori, igitur modos, & ſpecies interituum tractare aggrediemur, præmiſsis quibuſdam ceu præludijs, vt deinceps tota hæc tractatio de mortibus feliciter nanciſcatur.

Quorum primum eſt Ariſt. in lib. de longitudine, & breuitate vitæ, quod omnibus animantibus vita eſt mors communis. & 6. Phyſi. Omnis magnitudo finita per diminutionem partium annihilatur, & hoc præſtitur, ne temerè tot exitiorum ſpecies declaremus.

Secundum eſt eiuſdem in libro de morte & vita, vt quæ minus calida ſentiantur extincta, vitaque vſu orbata contra ſe habeant: nam neceſsitas præſcribit, vt vita, & caloris ſalus vna cuſtodiatur, & quem dicemus obitum illius ſit interitus.

Tertium eſt Gal. 1. de tuenda ſanitate, quod cum ex ætatiuo decurſu, & ex cauſis internis, & externis corpus noſtrum afficiatur, durabileque non ſit, igitur ægrotat, ſeneſcit, & moritur: quoniam quantum ſubſtantiæ noſtræ labitur, tantundem viciſsim à labefactato calore ſecundum ætates non poteſt reponi, vt in ſequenti præludio ex Platone monſtrabimus.

Quartum eſt Platonis in Thimæo, & eſt, quòd à calore noſtro valido dum pueritiæ, & adoleſcentiæ ætate fruimur, cibariorum copia tanta coquitur, vt non modo corpuſculo eo alendo ſatisfaciat, verum etiam vt augeatur dum vigoris ætatem attingit. At cum ibi conſtiterit, vtpote quia calor noſter paulo imbecillior euaſerit, tantum concoquit cibariorum, quantũ corpori aucto alendo ſit ſatis. verum cum primi ſeni foribus ſeſe appulit inualidior effectus minus incipit alere, vtpote quia minus cibi ab eo coquitur. Sed cum in vlteriorem ſeniũ prorumpit, tepidior redditur adhuc minus coquit, vnde minus nutritur, quotidieq; corpus macerius, & exuccatius redditur,

& adeo in aridum, & frigidum tendit, vt in omnimodam mortem deriuet.

Quintum est Arist. in lib. de morte, & vita, quod calor, in quo vita nostra consistit, flammæ lucernæ comparatur, adeo vt quot modis lucernæ flamma destruitur, per totidem, eosdemque modos, & vniuersum corpus, & particulare membrum oportet vt emoriatur.

Sextum, Merito à flamma, & ab oleo vitæ, mortisque nostræ sumitur comparatio: Siquidem calor noster dum validus, ac constans est, flammæ lucernæ vigenti assimilatur, & vitæ nostræ causa efficiens est. Labefactatus verò, extinctusque nostræ mortis causa efficiens est, & flammæ in lucerna extinctæ comparatur. Materialis autem vitæ nostræ causa est humidũ copia, & qualitate inculpatum, oleo lucernæ luminosæ respondens. Vitæ siquidem nostræ humidum illud adminiculum est, vt oleum inculpatum ad lucernæ lumen: hoc verò humidũ dum perit, vitæ nostræ naufragium est, sicuti oleum culpatum flammæ exitium est.

Vt rem propositam aggrediamur illud in primis monstrandum esse duximus, quod flãmæ lucernæ interitus, tum ab extra ad flammam lucernæ accedit, tum intrò in lucernam conclusum in flammam irruit. Si deforis aduenit, vel illud est, vt à frigido aëre flamma extinguatur, vel à fortiori calore resoluatur, vel à perspiratu prohibito suffocetur. Si verò in lucerna insitum sit illud, est quod vel à copiosiori oleo obruitur, aut à pauciori arescat, aut à prauo corrumpatur: igitur per hos sex modos vniuersi & singularis membri exitia venabimur, ab vniuerso incipientes.

Primus igitur modus est flammæ extinctæ à frigido vehementi, ita pariter moriuntur iter facientes per frigidissimas, niuosasque alpes congelati calore namque eorum natiuo extincto. Pariter obeunt sic qui frigidum bibêre venenum.

Secundus modus est resoluendo cum flamma lucernæ ab ignis maiori flamma resoluitur, & moritur. Illud idem aduenit ijs, qui ab ardentissimis febribus correpti sunt: maior enim calor præter naturam, pauciorem natiuum resoluit, & hominem iugulat. Etiam moriuntur resoluendo, qui calidissimum hausêre venenum.

Tertius

Tertius modus eſt, cum lucernæ flamma ab expiratu ex operculo indito prohibetur, vnde ſuffocatur: Sic pariter moriuntur ſuſpirioſi, ſuſpenſi, & anginoſi ob anhelitus interceptionem.

Modi autem ab oleo petiti ſunt iſti. Primò cum lucernæ flamma à copioſiori oleo obruitur, ſic moriuntur, vt ait Ouidius hi, qui in aquis ſubmerguntur, dum ait, Obrutus inſanis eſſet adulter aquis: ex nimio humore obruente calorem.

Secundus modus eſt ab olei penuria acceptus: quia tunc flamma areſcendo deſtruitur: ſimiliter aduenit hecticis, famelicis, decrepitis: quia ob priuationem humidi continentis calorem, migratur calor.

Tertius modus eſt ab olei prauitate deſumptus, ex quo lucernæ flamma non nutrita ob eius malitiam corrumpitur. Sic aduenit à febre peſtifera oppreſsis, & à peſte ipſa correptis, vel venenatis: quia ſpiritus, & ſanguis cordis corrumpitur, & ex vi venefica moritur.

Finitis modis interituum totius corporis: ſupereſt vt particularium membrorũ exitia enarremus, eiſdem ſumptis exẽplis tum à flamma, tum ab oleo.

Quorum primum eſt à flamma lucernæ ex frigore mortua. Sic pedes nauigantium, & itinerantium hyemali frigidiſsimo tempore gangrænantur. Similiter membra à phlegmone, vel eriſypelate occupata, & nimium refrigerata intereunt, natiuo calore ab impenſiſsimo medicamentorum frigore extincto.

Secundus modus eſt flammæ lucernæ ab igne maiori reſolutæ. Ita moriuntur membra à perſeuerante nimis ardentiſſima phlegmone, vel eriſypelate, reſoluendo natiuum minorẽ calorem à maiori præternaturali calore, vt etiam aduenit virili membro vlcerato, cui ab imperitis tonſoribus medetur aqua ardenti chymiſtarum: exareſcit enim ab ea, vtpote, quia ignis eſt calor natiuus, & moritur membrum.

Tertius modus deriuat à flamma ab operculo ſuffocata. Sic pereunt, authore Hipp. in lib. de articulis, & fracturis, homines ex vehementiſsimis conſtrictionibus, dum luxata, vel fracta, vel vulnera ſanguiflua nimium arctè ligant, ait enim Celſus lib. 5. cap. de ligatione vulnerum. Quod nimium adſtrictum eſt, Cancro, ideſt ſphacelo periclitatur ex prohibito tranſitu

ſitu

situ spirituum, & ex prohibita euentatione.

Ab oleo isti erunt modi, quorum primus est ab abundanti oleo obruente flammam, sic aduenit corrumpi membra à magna phlegmone obsita, & à lan cinatione crurium hydropicorum ex Aetij præcepto. Nam copiosior aqua in lancinatum membrum irruens natiuum calorem obruit, & gangrænatur.

Ab olei penuria arescit flamma, & extinguitur, ita corrumpuntur membra 2. ad Glauc. cap. 1. à phlegmone sicca occupata. Et pariter fiunt gangrænæ in aliquo hecticorum membro peius nutrito ex humidi simul cum calore priuatione.

Ab olei prauitate flamma corrumpitur, sic moriuntur mēbra à sagitta venefica icta, vel à morsu venenato affecta, & similiter aduenit gangræna in aliquo membro eorum, qui venenum sumpsēre, & à forti natura in particulare membrum reiectatum: quia vitæ inimicum est. Igitur moritur membrum.

Quod hæc affectio fiat ab exquisita putri materia. Cap. VII.

TERTIA definitionis nostræ pars erat, gangręnam fieri ab exquisita putri materia, quā probare nunc intendimus; sed nunc à qua determinata putri materia fiat, non dicemus: quia hoc in capite nono declarabitur.

Non temerè igitur ita indistinctè hic putrē materiam tractabimus, & ceu vniuersaliter moniti authoritate Auicennæ in tractatu de exituris calidis, quo loci vniuersaliter loquens de quocunque humore. s. dicit: Necesse est omni materiæ, quæ accidit in corpore, vt vel resoluatur, vel maturetur, aut putrescat. Putrescit autem secundum Philosophos: quia habet materiam priuationi, & contrarietati obnoxiam. Secundum verò Medices 2. de diff. feb. cap. 10. quia humori, qui à proprio calore non vincitur, nil amplius ei superest, nisi vt in putredinem transeat: nam 1. de tuenda, proprius calor roborat, sanat, viuificat. Ergo cum non vincitur à proprio, de necessitate sequitur, vt ab alieno calore vincatur, qui debi-

 litat,

litat, ægrotare facit, atque mortificat, & corrumpit. Sed proximius accedentes modos nostræ putridæ materiæ, tum denique causas secundum illos modos factas describemus, vt vniuersam tractationem de exquisita putrida materia pro gangręna, & sphacelo constituendo clarè habeamus.

Hinc itaque sumpto initio, quod à quibus malis abscessuum putris materia fit, à quibusve causis secundum illos modos factis abscessuum putris materia fit, ab eisdem, & gangrænæ, sphaceliqúe materia exquisita putris fiat. Nam non differunt inter sese hæ duæ materiæ, nisi secundum perfectum, & imperfectum: nam abscessuum inexquisita, idest semiputris materia est, gangrænæ verò exquisitè putris materia existit.

Ad modos autem accedentes, dicimus eos acceptos esse à materia 2. ad Glauc. cap. 1. putri antequam fluat, vel post fluxũ putrefacta: prima dicitur à principio talis: secunda dicitur per coincidentiam talis, dicit igitur Gal. & quidem in earum singulis vel iam putruit id, quod influxit, aut in membro constrictum putrescit. Ergo duo sunt modi materiei putridæ, quorũ alterum est à principio: reliquum per coincidentiam factum. Si quis tales modos non admittat, testis est Gale. in lib. de tumoribus præter naturam, dicens: de materia semiputri. At qui non solum ex inflammatione abscessus, idest per coincidẽtiam generantur; sed protinus à principio, idest per affluxum, &c.

Auicenna illud idem confirmat 3. 4. tract. de exituris, idest de abscessibus, dicens. Exitura est de summa Dubelet, quæ collectionem faciunt ex apostematibus calidis, idest per coincidentiam. De exitura verò facta à principio, inquit: hoc enim si incipit, idest si per affluxũ fit exitura ꝑ materiã, seu putrem quam expellit natura, s. ab intro ad extra, & cum dico exituram, dico materiam semiputrem: cum dico verò gangrænam, & sphacelum, dico totaliter putrem materiam. Ergò satis hucusque probauimus, abscessuum semiputrem materiam per coincidentiam, & à principio fieri. Reliquum est, vt gangrænam similiter fieri probemus. Nam ex lib. 2. ad Glauc. & de tumoribus præter naturam, gangræna magnas phlegmonas insequitur. Ergò per coincidentiam. Paulus apertè hanc veritatem patefacit, in 4. libro cap. proprio, dicens. Cum inflammatio

matio

matio nec discutitur, nec conçoquitur, in gangrænam abit. Itē Actuarius 4. sui Met hodi cap. 16. dicit. Scire tamen licet, nisi inflammationes œnematosæ curentur, eas in gangrænam, ac siderationem commigrare.

Quod etiam fiat à principio, & per coincidentiam, inuocamus vt vltimum testem Auicennam, dicentem cap. de gangræna. Siue sit incipiens, idest a principio, siue sit succedens apostemati, idest per coincidentiam nominatur Aschachilos: cum membrum totaliter mortuum fuerit. Ergò cum semi emoritur, dicetur gangræna.

Reliquum est, vt probemus abscessus fieri a semiputri materia, quod per Galenum ostenditur in commen. 47. secundi libri Aphorismorum, quo loci ait. Pus ex sanguine ortum habet, qui semimalam vt quispiam dixerit habet mutationem: nā mutatio, quæ sequitur concoctionem pro sanie fienda, ab ingenito quidem calore fit, sed non planè vincente: neque enim ex materia peragitur, quæ prorsus benigna sit, neque tamen ex omnino aliena: nā naturales alterationes, quæ ab innato prouenīūt calore a simili extrinsecus iuuantur: pari modo & quæ in mouendo pure conspiciuntur, per quod consentiunt cū naturalibus: naturales enim vel puellis, vel catellis, vel manu propria admota perficiuntur, non merè naturales verò in quibus pus citatur cataplasmatibus pinguibus auxiliantur. Ergò materia abscessum semiputris est.

Quod verò materia gangrænę, & sphaceli tota putris sit, ex eisdem locis facilè probabimus: Galenum igitur audiamus, dicentem. Mala, quoniam ex exquisita putrefactione fit, & olida est: nam tali mutationi, quæ omnimodè præter naturā est, accidit, vt ab aliena tantum caliditate fiat, & ad nihilum vtilis sit, & in fluxu, aut post fluxum talis est: ergo sicuti ex semiputri in fluxu, & post fluxum abscessus fiunt, ita in exquisitè putri materia gangrænæ, & sphaceli fiunt: quia eorum differentiæ sunt secundum materiei imperfectam, vel perfectam putredinem.

Cæterum hic à nobis ostendendum est, ab eisdem causis putrem materiam abscessuum, & gangrænæ fieri. Cum igitur duo sint prænarrati modi eorum, idest quæ fiunt per coincidētiam, & quæ fiunt per affluxum: igitur horū duorum modorū

causas ex Auicenna in tract. de exituris calidis positas recensebimus, initio sumpto ab ijs, quæ faciunt absceſſum per coincidentiam, deuenientes deinceps ad eas, quæ faciunt absceſſum per affluxum.

Tres igitur ab Auicenna ibi recensentur causę materiei per coincidentiam. Prima est repletio. Secunda multitudo materiei. Tertia corruptio ipsius. Locuturi de his communis, sciendum est secundum Galenum in lib. de causis procatarcticis, quod illæ tantum causæ dicuntur, quæ ad illius rei generationem conducunt: alioquin causæ non sunt. Vlterius animaduertit inter quatuor causas causatum constituentes, efficientem, & materialem ad effectum procreandum primum locum obtinere, cum ait, nullus effectus oriri potestq́, nisi efficiens, & materia iungantur: nam nihil inuenire licebit, quod materia non eget, ex qua constet, & efficiente, à quo fiat. Cæteræ autem causæ quasi his duabus famulare videntur. Ad quod oculatisſimus Auicenna respiciens, causas has duas ita disposuit, vt altera esset pro materia, cum ait: Et multitudo materiæ, &c. Reliquæ verò duæ repletio, & corruptio pro efficiente. Siquidem repletio efficientis remoti rationem obtinet: quia etsi membrum materia repleatur, & resoluatur, ob id non concoquitur, nisi à corruptione adiuuetur. Corruptio autem subit efficientis propinqui causam: quia ex corrupta, idest semi materia, statim absceſſus fiunt, sicuti ex integro corrupta gangræna.

At quoniam Auicennæ verba ab omnibus sanæ mentis oracula habentur; idcirco interprete egent, ex cuius interpretatione gangrænæ, & absceſſus per coincidentiam, & à principio factorum causæ omnes meridiana luce clariores reddentur, ex qua exquisitam putrem materiam gangrænæ sic stabilitam ostendemus.

Prima igitur causa saniationis in absceſſu narrata ab Auicenna, est repletio, quæ vox duplici nomine ab ipso insignitur, secundum quod dupliciter ab ipso accipitur: nam hoc in loco stat pro eo, quod replet vacuum: nam 2. ad Glauc. cap. 7. opus est, vt spacium vacuum in medio absceſſus fiat, in quem contenta, replensq́ue materia sanietur. Secundo modo accipitur, prout cõclusam arctamq́; repletionem in vacuo factam notat,

vt in 1. textu de exituris merito ab Auicenna collectio appelletur, & in cap. de phlegmone aggregatio, quod idem est, dicitur, & ibi tantam vim huic aggregationi tribuit, vt pro tota maturatione vsurpet: cum ait, & scis illud, quod aggregatur, i. maturatur. & in alio textu ibidem ait, & mala est, quæ non tendit ad declinationem, neque aggregat saniem. Cæterum nisi in vnum locum materia colligeretur, & strictè quidem, vtique resolueretur: siquidem si tanto repleret; sed sparsa per membrum esset, vtique resolutioni, & non coctioni apta esset: infarcta igitur, & transpirata, vt multum carente concoctioni apta est. At si transpiratus omnimodè prohibitus fuerit, vtpote, quia calor naturalis totus suffocetur, non pus pro abscessu; sed fiet putrefactio pro gangræna. Ergò repletio luxa facit ad resolutionem, strictior ad coctionem, strictissima ad putrediné.

Secunda causa est multitudo materiei: nam non sufficit colligi, nec strictè quidem, si pauca fuerit illa collecta materia; quia à natiuo calore victa resoluitur. Ergò opus est, vt sit multa, & arctè collecta pro sanie fienda, vt inflammationis materia in pus vertatur; siquidem ex libro de morborum temporibus, inflammationes soluuntur vel à præsidijs discussæ, vel in pus conuersæ. At si ex maxima materiei copia natiuus calor omnimodè languescat, de necessitate sequitur, vt ex hac materiei multitudine adueniat præsagium Pauli, iam antea dictum, vt inflammatio, neque discussa, neque in pus versa, in gangrænã abeat. Ergo hucusque habemus ad abscessum fiendum collectionem strictam, & materiei multitudinem requirere: collectio nanque non stricta resolutioni apta est, strictior verò pro abscessu, strictissima pro gangræna. Sicuti multitudo materiei moderata pro resolutione apta est, vt vincatur à calore. Copiosior pro abscessu, vt partim calorem vincat, & partim ab eo vincatur. Copiosissima pro gangræna constituenda, vt omnimodè virtus, & materia victa succumbat.

Tertiam causam dicit esse corruptionem, tanquam conclusionem ex præmissis illatam: quia ex collecta, & multa materia vltraque tempus inflammationis contenta, calida cum sit, & humida, qualis sanguis in inflammationibus est, in loco calido, & humido constricta, vt in carne, necessariò sequitur, vt corrumpatur; siquidem sine hac corruptione, nec abscessus,

nec

nec gangræna fieret: abſceſſus namque vt diximus à ſemi corrupta: gangræna verò à tota corrupta materia fit. Quandoquidem non ſufficit ad abſceſſum, & gangrænam fiendam, vt colligatur multa materia in aliquo loco: ſed opus eſt, vt ibidem corrumpatur: ſiquidem & materia ſcirrhi collecta,& multa,& ſtricta eſt, ſed non ob id corrumpitur: quia corruptioni obnoxia non eſt: ſapit enim quid conglaciati, cui ſecundum Ariſt.putreſcere negatum eſt, & hæc de cauſis abſceſſus,& gangrænæ ex coincidentia factorum dicta ſufficiant.

Tempus inſtat,vt ad cauſas abſceſſus,& gangrænæ à principio factorum enarrandas properemus,quæ quatuor ab Auicēna ibidem recitantur. Quarum prima eſt nauſeatiua ſacietas. Secunda eſt exercitia mala. Tertia ægritudines non rectè criticantes. Quarta animi accidentia. Quæ omnes,vel ſe tenent ad cauſam materialem, vel ad efficientem. Si ad materialem, vel ſapiunt materiam fientem, & eſt nauſeatiua ſacietas, vel ſapiunt factam,ſed non expulſam,eſt, & accidentis eſt ineſſe, inhærebit igitur primo humoribus, quia corpora ſunt humida: deinde membris,quia corpora ſunt ſolidiora. Reliquum igitur erit, vt eorum facilitatem, & difficultatem in putreſcendo deſcribamus. Putrefactionis igitur eorum facilitas, & difficultas potiſsimum attribuitur aut eorum temperaturę, aut ipſorum ſubſtantiæ. Quod ad temperaturam attinet, 11. Methodi,illa tantum putreſcunt corpora,quæ cum natura calida,humidaque ſint, neque perflata,aut ventilata in loco calido,& humido incluſa, vt ex humoribus ſanguis, ex membris verò adeps, & caro omnium facilè putreſcunt. Contra verò difficulter putredinem admittunt ex humoribus melancholia: quia frigida, & ſicca eſt.

Ex membris verò oſſa, & chartilagines putredini magis reſiſtunt: quia frigida, & ſicca ſunt; contraria etenim ſunt ipſi calido, & humido, in quo, & à quo putredo maximè fit: nam ex parte paſsi,illud idem aduenit,quod ex parte agentis: agens enim eſt boreas,in quo putrefactiones non fiunt: quia frigidæ, & ſiccæ temperaturæ eſt: vnde flante ipſo carnes per plurimos dies immunes ſeruantur à putredine. Contra verò flante auſtro calido,ſ.& humido putreſcibilia promptiſsimè putredinē admittunt. Ergo hucuſque habemus tam ex parte putreſcibilis,

bilis, quàm ex parte putrefacientis calida, & humida putredini obnoxiora ſunt: cõtra verò ex parte agentis, & paſsi frigida, & ſicca difficulter putredinẽ incurrere: quia frigidum calido extraneo opponitur: ſiccũ verò humori aduerſatur. Phlegma igitur quia humidum faciliùs, quàm melancholia putreſcit, ſed quia frigidum difficiliùs, quàm ſanguis putredinẽ induit; Bilis autem quia calet promptius, quàm melancholia, putreſcit; at quia ſicca difficilius quàm ſanguis corrumpitur. Ergo phlegma, & bilis erunt medij inter faciliter, & difficulter admittentes putredinẽ, vt ſunt ſanguis, & melancholia. Ex mẽbris verò, quæ carni proximiora ſunt, vt venæ arteriæ, & panniculi, facilius putreſcunt, quàm chartilagines, & oſſa, & difficilius, quàm caro, & adeps. Ergo erunt mediæ inter ea, quæ facilem, & difficilem putreſcendi modum habent.

Subſtantia membrorũ putreſcendi facilitatẽ, & difficultatẽ arguit: nã ea, quæ ſolidiora ſunt, vt oſſa, & chartilagines, & tophus ſarcodes difficillimè putredinẽ admittunt: eorũ nanque pori ſtricti, & non facilè permeabiles à calido extraneo ſunt. Ergo ab eo non promptè afficiuntur. Quæ verò laxioris ſubſtantiæ ſunt, vt caro, & adeps, faciliter putredinẽ admittunt, ex carnibus autem laxiores promptius putrefiunt, vt pulmonis, epatis, & ſplenis. Contra verò cuius caro ſolidior eſt, minus putredinem in ſeſe recipit, vt renum, & cordis caro eſt. Ex humoribus autem, bilis quia laxior, deinde ſanguinis: contra verò phlegmatis, & melancholiæ, quia denſiora ſunt: illi enim duo primi humores ob ſubſtantiæ laxitatem facilè ſunt ad putreſcendum: cæteri verò duo difficiliores ſunt.

Vt igitur hoc caput concludamus, quinque regulæ ex Ariſt. 4. Metheoror. cap. 1. hic deſcribendę ſunt, quæ non paruam capiti huic lucem adferent.

Quarum prima eſt, quod in frigidis temporibus minus, quã in æſtate res putreſcunt, & hoc ideo fit, quia in hyeme exiguus calor eſt in aere, quare nihil poteſt ad putrefaciendum, in æſtate autem amplior: proinde plures gangrænæ æſtate inueniuntur, quàm in hyeme.

Secunda regula eſt, quod conglaciatum putredinem nõ admittit: nam magis friget, quàm exterior aer caleat, non ergo ab aeris calore vincitur. Exemplum habemus de cadaueribus

congla-

conglaciatis in monte cinerum, quæ immunia à putredine rigida, & erecta seruantur.

Tertia regula est, quod id, quod feruet, vel valde validũ est non putrescit: quia calor, qui in aere est, minor est eo, qui in re ipsa consistit; quare nec dominatur eam, nec mutationem in ea aliquam committit: exemplo sunt stagnantes aquæ thermarum, quæ quia feruent, non putrescunt. Deinde corpora alioquin sana iuuenum difficilius incurrũt gangrænam, quàm corpora iuuenum ægrorum, vel neutrorum: quia calor eorum quasi feruet, facilius corpora cocochyma, & senilia incurrunt in gangrænam: quia eorum calor tepidus est, puerorum corpora: quia humentia sunt, & calor hebes, idest non acris, facillimè marcedinem incurrunt.

Quarta regula est, vt quod mouetur, minus putrescat, quàm otiosum: nam motus ille, qui ab aeris calore proficiscitur imbecillior eo efficitur, qui in re ipsa etiã antea inhæserat; quare fieri non potest vt quicquam mutetur, stagnantes siquidem aquæ, quia non mouentur, putrescunt: labentia verò flumina, quia mouentur minimè putrescunt. At in casu nostro exemplum habemus ab Hippoc. in libro de fracturis comm. 2. textu, & commen. 21. vbi ait Gal. & Hippoc. in ociosis ex vulneribus cruribus debere imponi ad calcaneum strophium orbiculum, & sæpe calcaneum attolli vt non collidatur, & facilè perspiret, & minimè excalfiat, quia hæc sunt sphacelationis causæ. Sed in libro de his, quæ fiunt in officina Medici, ait. Vsus firmat, ocium tabefacit, & illud dicit in commen. 3. tex. 28. at Gal. in commen. præcipit quod mẽbra malè affecta, quæ manuali opere curantur, minimè immota seruentur, securitatis gratia, imò ea mouere debent, sed tamen id moderatè fiat, interdumque oportet quando nimirum ab inflammatione libera euasẽre.

Quinta, & vltima regula est, quod magna magis resistunt putredini, quàm parua. Mare enim etsi immobile videatur; quoniam magnum est, non putrescit, vt stagnantes alioquin aquę quotidie putrescere cernuntur, quia minores sunt: in maiori enim quanto maior virtus inest caloris, & frigoris ob id facultates in circumiecto aere existentes vincere potest. In corpore verò nostro magna membra rarius sphacelantur, quàm

quam parua: ſiquidem frequentius digiti vel labia, vel aures, vel naſus, vel virile membrum putredinem incurrunt, quam femur, aut crus, aut brachium: in maiori enim quanto plus caloris, & frigoris ineſt: Ergò maior reſiſtentia.

Quod ex quocunque ex quatuor humoribus ſeparato humore putrido, & ex mixtis quoq; putridis humoribus gangræna fiat. Cap. IX.

DIXIMVS ſuperius omnes humores putreſcere, & cur. Reſtat verò à quibus humoribus putridis fiat gangræna monſtremus, præoſtenſa putreſcendi poſsibilitate in humoribus ſingulis quatuor ex Auic. prima quarti trac. 2. cap. 1. dicente, & humor recipiens putredinem, aut eſt ſanguis, & facit febrem concluſam; aut eſt bilis, & tertianam generat; aut eſt pituita, & quotidianam inducit; aut eſt melancholia, & quartanam conſtituit. Ergò ſi omnes quatuor humores putreſcunt, & à putrido humore gangræna fit, de neceſsitate ſequitur, vt à quocunque putrido humore fieri poſſit: à ſanguine enim putrido, & à feruido, & putri Gal. in lib. de tumoribus præter naturam gangrænam fieri dixit, cũ ad magnas phlegmonas inſequatur, cum. ſ. earum ſanguis omnimodè putris euaſerit: Dixit ſubinde à ſanguine veluti feruido, & gangrænæ, & carbunculi generantur: quamuis in aliquibus græcis exemplaribus eo in loco non inueniatur. Thagautius autem à ſanguine tenui putri gangrænam fieri dixit, à pituita putri, & craſſa gangrænam deſcripſit Hippo. in lib. de articulis commen. 3. commen. 65. ex earum mucoſa, ex qua irrorantur iuncturæ. Quod à melancholia putri fiat, teſtis eſt Auicẽna tertia quarti tract. de lepra cap. 1. Dixit enim à melancholia tenui, & putri gangrænam generari. Quod vero fiat à bile putrida, facilè cernitur, cum eam arrodentem, mortificantẽ, & valide ſerpentem per ſumma inuenimus: Quod autem fiat

I à mix-

à mixtione humorum, sic probatur, frequenter in corpore cachochymo aduenit, in quo vt plurimum putridorum humorũ miscela est, Celsi testimonio lib. 5. cap. proprio, dicentis: Hoc malum non nisi vitiosi corporis est, & vitiosum corpus à vitiosis dicitur humoribus, & cacochymum appellatur. Ergo concludendum est cum Gal. de morborum causis, quòd humorũ singuli interdum sinceri, & puri: interdum inuicem mixti solent in imbecilliorem partem confluere: igitur si datur affluxus simplex, & mixtus, putris, & non putris, dabitur quoque gangræna facta à simplici, & à mixto putri.

Pro conclusione huius capitis, hoc minimè latere expedit, quod qua à sanguine gangrena fit, consentit cum phlegmone, qua à sanguine tenui, consentit cum erisypelate, qua à sanguine feruenti, consentit cum carbunculo, qua à bile fit, consentit cum herpete: qua verò à phlegmate, consentit cum œdemate, qua à melancholia tenui; sed per assationem bilis facta, consentit cum phagedæna, quæ à tenui per relationem ad cancrum fit, ergò non temere Auicenna dixit in principio huius capitis. Sermo de his rebus est proportionalis sermoni de rebus quarum rememoratio præcessit: nam tumor iste gangrænicus ex eisdem constat materijs; sed corruptis, ex quibus anteriores facti sunt. Deinde ad illos iam dictos tumores gangræna insequitur. Ergo consentit cum eis: quia omne deriuatiuum sapit naturam sui primitiui.

Quod materia gangrænæ sit venenosa, sed non in summo. Cap. X.

PHYLOTHEVS Vir excellentissimus in primum Apho. commen. 3. ait, Duo putredini inesse, quorum alterum est ipsa putris materia, de qua satis abundè superius actum est. Cæterum verò est ipsius putridæ materiæ malitia, quæ interdum remissa, interdum intensior, interdum verò intensissima est, & sic tria diuersa assequitur nomina. Prior enim malitia tantum dicitur, vt

in

in carbunculo, & cancro reperitur. Posterior vene nositatis nomen induit, sed non in summo, vt in gangræna nostra. Vltimò dicitur venenum ipsissimum, vt in Althoin, id est bubone pestifero clarissimè cernitur; nam quò magis à malitia versus venenositatem ascendit; & promptius interficit: vnde carbunculi, & cancri rarenter & in longum temporis tractum occidunt: gangrænæ verò, quia venenum sapiunt, lethaliores sunt. Omnium verò lethalissimum est Althoin: nam gangrænæ per menses ducunt vitam, Althoin vix per dies, vel horas distrahitur. Quod insit venenositas. Aliter probatur, ab vsu medicamentorum ad venenositatem compescendam facientiũ per regulam topicam à minori ad maius, sic. Si de quo minus videtur inesse & inest: Ergò & de quo magis. Si ergo, authore Aetio, alexiteria competunt in cancro morbo minus lethali, vt habetur ab eo lib. 14. cap. 58. dicente, Neque parum confidere oportet theriacæ Andromachi cum modico rosaceo dilutæ, & hoc pro topico alexiterio. De interno autem lib. 16. cap. 48. dicit, Danda sunt quæ assiduè venenosis potionibus aduersantur, qualis est theriaca, & mithridatum, & antidotũ ex sanguinibus, quæ tria omnium quæ venenis aduersantur, fortissima sunt alexiteria: Si ergo concedit hæc maxima antidota in morbis minoris venenositatis, id est malignis tantum: Ergò in venenosis multo magis concedenda erunt. Ergo si cõceduntur ratione venenositatis insitæ, quæ in eis inest conceduntur. Rogaret quis, quo pacto fit in nobis hæc venenosa materia? Respondetur secundum mentem Galeni in sexto vulgarium commen. 3. commen. 75. quod humor ijs, qui corrumpitur ab initio, prauus est, qui postea temporis tractu longo in corpore à natura non victus immorauerit, adeò quòd vitiosissimus euaserit, & sic veneno similis efficitur.

Quæreret quis, vtrum talis humor venenosus in nobis generari potest. Vltra locum sexti de locis aff. cap. 5. in quo de cane rabido, & de retentione seminis exempla venenositatis ponit in sextum vulgarium commen. 3. commen. 75. supra citato per exemplum phrenitidis malignę venenositatem habentis vt occidat facilè habetur: dum ait, quæ vbi eo tandem peruenerint, id est venenositatis, mortem afferunt repentinam. & paulo post dicit, Symptomata qualitate, & non copia mortem

inferentia constituere. Per qualitatem enim intelligit venenositatem. Sed quid amplius in his moror? nam in eundem sextum vulgarium commen.6.commē.5.inter tres species veneni humores veneficos in corpore ex prauo victu, vel ex pestilenti aere contractos describit.

Vltimo inquirendum est, vtrum notæ habeantur distinctæ venenatorum, à veneno epoto, ab eo intus generato? Ad quod respondet Gal.6.de loc.aff.cap.5. quod ambo conueniunt in hoc, s. vt occidant: nam id venenositatis est officium, qua stante venenositate efficitur, vt in mortuis communia eademque sint signa: nam in ambobus cadauera fiunt liuida, vel nigra, vel varia, aut diffluentia, aut malè olentia: quia veneni illud est officium. Distinguuntur autem inter sese hæc duo venena: quia si corpus erat euchymum, & vt sanum educatum, & repentè mortuum, assumpti veneni inditium est. Si autem erat corpus cacochymum, & non vt sanum educatum, & repente mortuum est, signum erat hominem a veneno interius generato occisum esse: quia talis corporis dispositio ad vitiosissimum generandum interius talem humorem apta erat, addito interdum vitioso victu: interdum verò aere pestifero, vel cibis, in libro de euchymia, & cacochymia a Galeno recitatis.

In qua veneni specie gangræna recondatur. Cap. XI.

DIXIMVS hucusque materiam affectionis huius, & putrem, & veneficam esse. Iurè igitur merito venenositatis suæ speciem inquirendā esse censemus: hoc autem commodius nullatenus fieri potest, præterquam quod si de veneni nomine in definitionem, & de definitione in species cadentes venenositatis gangrænæ speciem inquiramus.

Maiores itaque nostri hoc veneni nomen dupliciter vsurpauerunt, particulariter. s. vt Auic. in lib. de viribus cordis, tractatu 2. accipi t illud pro medicina propriè venenum appellata, quæ

ta, quæ ideo sic dicitur: quia complexionem spiritus per contrarietatem substantiæ speciei suæ cum substantia, & specie spiritus corrumpit, vt napellus, & morsus viperæ.

Vniuersaliter etiam capitur ab Auicenna ibidem pro pharmaco mortificatiuo corrumpente complexionem, & substantiam spiritus cordis, aut per formam specificam vt venenũ à proprietate supra dictum, aut per excellentiam alicuius actiuę qualitatis, vt opium per frigiditatem, euphorbium verò per calorem, & gangræna est venenum mortificans, similis medicinę mortificatiuæ, vt napellus.

Dixerunt Græci deleterium à Dyltæo, verbo descendens, i. lædo, quasi dicatur, læsiuum: nam 6. vulgarium commen. 6. commen. 5. quod nec sanis, nec ægris vtilitatẽ ullam adfert, id venenum dicitur: quia semper lædit.

Dicitur pharmacos, cum aspiratione in fine, quæ vox composita est ex pherin, & achos, idest ferens tristitiam, idest mortis sensum ac męrorem.

Veneni verò essentia est, quod sit causa vitæ destructiua, sicuti cibus est causa vitæ nostræ conseruatiua.

Quæ 6. vulgarium commen. 6. commen. 8. vel semper sunt talia, vt sunt deleteria, quæ nunquam neque sanis, nec ægris prosunt. Sunt alia, quæ interdum venena sunt, interdum verò non, vt sunt solutiua, quæ media sunt inter venena, quæ semper lædunt, & medicamenta, quorum necessario per aliquas occasiones aliqua in eis inest vtilitas solutiua: etenim debitè exhibita medicamenti nomen induunt, indiscretè verò data deleterij nomen subeunt.

Deleteriorũ verò materia ab omnibus authoribus quadrupliciter pingitur, prima ex plantis vt napellus, secunda ex animalibus vt vipera, tertia ex lapidibus, vt lapide rubeo venenoso Auicennæ quartæ ex mineralibus, vt arsenico, & cætera huiusmodi.

Venenorum prima species tripartita est 6. vulgarium, vt supra. Prima est deleteriorum. Secunda est morsuum venenosorum. Tertia est humorum malignorum ex prauo victu, aut ex aere pestilenti contracta.

Secunda verò species quadripartitè scinduntur in eas, s. factas à qualitatibus primis, & in eas à secundis, & in eas à ter-

tijs

tijs, & in eas à quartis factas. Quæ acquiruntur vel à temperatura, vt calidorum, frigidorum, humidorum, & ſiccorum; vel ab actionibus ſequentibus temperaturam, vt venenum eroſiuum, vſtiuum, putrefactiuum, aperitiuum, & constrictiuum; vel ab actionibus cum puſillo de tota ſubſtantia: quoniam vni tantum ſignato membro opponitur, vel à tota ſubſtantia ſola, vtpote quia à proprietate tantum humanæ vitæ aduerſetur.

Qualitates primæ à temperatura acquiſita ab elemētis ſuas obtinent vires: elementa enim ipſa quem habent calorem, frigus, ſiccitatem, & humorem mixtis participant, & per eas operantur: quia elementa inſunt ſtirpibus, animalibus, & mineralibus, 4. Metheor. cap. 1.

Qualitates ſecundæ quas actiones vocauit Gal. 5. ſimpl. capit. 25. fluunt ex primis, ſicuti tertiæ ex primis, & ſecundis. Quartæ autem à nullis earum deriuant; ſed à tali ipſarum mixtione taliter ortum habent, vel, vt Arabes dicunt, à proprietate, quæ quidem proprietas ab Auicenna in libro de viribus cordis trac. 1. cap. 10. eſt natura inuenta in commixtis corporibus, procedens in eis à ſuperna, & plenisſima influentia propter complexionem propriam, quæ particularem, & propriam diſpoſitionem acquirit. Veneni vis tres arces occupat. Si enim ictéritiam parit, ſignum eſt epar affici à veneno. Si ſyncopen facit, cor afficitur. Si ſpaſmum, cerebrum læditur.

Erit igitur venenum operans à tēperatura per primas qualitates, euphorbium, & thapſia per calorem, iuſquiamus, & opium per frigus, gipſum autem per ſiccitatem, hydrargyrum autem, vt quibuſdam placuit, per humiditatem.

A ſecundis qualitatibus crocus operatur, aperiendo, & laxando vias ſpirituum, donec cum riſu moriantur, obſtruendo vt plumbum, adſtringendo vt lithargyrum, putrefaciendo vt auripigmentum. Poſſunt hæ qualitates ſecundæ iſta facere: quoniam virtus à primis in ipſis fluxa, & recepta id exigit. Calidi namque eſt aperire, laxare, digerere, concoquere, mollire, ſicuti frigidi eſt conſtringere, tendere, repellere, incrudare, & indurare. Calidi verò & frigidi valde intenſi eſt putrefacere & mortificare.

Ab actionibus, ſed quid proprietarij ſapientibus operantur tertiæ qualitates: nam ſexta quarti tract. 1. cap. 2. ait Auic. de

venenis

venenis sunt quæ agunt super vnum & idem membrum, sicut cantharides super vesicam, & lepus marinus super pulmonē. Erodendo scilicet, sed erosio à caliditate insigni fit: acris enim est erodere, & quæcunque acria sunt calida sunt, & quatenus calent ex primis fluunt, & quatenus erodunt ex secundis. Quatenus verò hæ singulare tantum membrum sibi inimicum à natura erodunt, inter tertias qualitates ascribuntur: amicitia enim, & inimicitia particularis 4. simplicium sapit aliquid de tota substantia, vel veluti Arabes dicūt de proprietate, sed non omnimoda, ex qua locus est eis assignatus tertius, quartis immediatè proximus, sed à quartis dupliciter differunt, primo: quia vix vmbram proprietarij obtinent: secundo, quia eius effectus sine Antidoto à tota substantia operante tollitur.

Probatio primi est: quia nisi earum insignis quantitas detur, opus suum non exercent: quia vt dixit Gale. 4. simpl. cap. 18. cantharis modicè sumpta, quibusque oportet admixta, nō modo nihil offendit vesicam, sed renes etiam expurgat, idem est iudicium de lepore marino ad pulmonem: in his verò quę totaliter à tota substantia operantur, per quam minima quantitas oblata, necat. Probatio secundi est, quòd non à theriaca, vel mithridato; sed à lacte, vel passo eius effectus tollitur. Ergò vix vmbra totius substantiæ adest.

Qua verò totaliter à tota substantia, seu à sola proprietate operantur, inter quartas qualitates adscribuntur, vt napellus, cauda ceruina, lapis rubeus Auicennæ, morsus viperæ, &c. Totius enim hominis interitum pusilla quantitate, vel perexiguo ictu faciunt ob maximam cum corde vitæ fonte inimicitiam, Et ab alexiterijs maximis, & solis iuuantur, vt à theriaca, à mithridato, & à lapide Bezoar vocato, de quo in alexiterijs habebitur notitia. His etiam includuntur venena artificialia, quæ hominem enecant intus assumpta, vel foris illita. Hæc igitur sunt venenorum species per qualitates quatuor distinctæ, superest modo, vt quam istarum specierum gangræna possideat, inueniamus.

Ad quod dicimus, quod tam in his, quæ à qualitate, quàm in his, quæ ab actionibus fiunt, possunt recondi. Quæ enim ab ardentissima phlegmone, vel intensissima erisypelate fiūt, & ab

& ab intensissimo frigore, vel hyemis, vel medicamenti, eæ omnes à qualitatibus primis fiunt, sicuti quæ ab vlceribus malis, vt Auicenna ait, ambulatiuis venenosæ substantiæ corrodendo, & larga infusio olei in vlceribus profundis æstiuo tempore putrefaciendo, in secundis sicuti ea, quæ fit à veneno intus generato inter quartas. Notandum verò vnum est ex Auicenna sexta quarti tractatu secundo. capite 1. quòd venena operantur vel propter substantiam suam, vt lepus marinus, & cantharides, loquendo de animalibus, vel per accidens; vt pisces frigidi, & assaturæ suffocatæ, & sanguis coagulatus. Primo modo operatur gangræna incipiendo facta: quoniam à tota substantia venenosa est; sed gangræna per coincidentiam facta est venenum per accidens, quia sicuti sanguis coagulatus in stomacho, transit in venenum, ita pariter in phlegmonizato membro putrefactus in venenum transit: sapit enim quippiam totius substantiæ, igitur neque inter tertias, sed inter initiantes quartas adscribi potest. Nam sicuti prima anthidotis magnis pro alexiterio vtitur, ita hæc secunda alexiterijs paruis corrigitur: non enim tam perniciosa est vt prima. Et sic finis sit huic capiti de venenorum speciebus non ex professo tractatis, sed accidenter traditis, vt tantum ex eis sic per transennam, vt aiunt, tractatis, gangrænæ venenositas per speciem reperiatur. Siquidem si ex professo de venenis vt res ipsa expostulat, hoc in loco tractarem, hoc membrum totius nostræ tractationis maius in centuplo, & monstruosum quoque efficeretur.

De causis gangrænæ, & sphaceli. Cap. XII.

CVM morbi essentiam, siue substantiam hucusque examinauimus, superest vt causas quoque explicemus, sectantes hac in re inexhaustum Auicennæ fontem, græcos omnes facillimè superantem. Tres igitur, secundum ipsum, erunt gangrænæ, & sphaceli causæ, quarum prima est corrumpens: secunda est oppilans: tertia est mixta ex opilante,

lante, & corrumpente. Corrumpens igitur vel est interna, vel externa. Interna vel est generata in nobis, vel à nobis hausta, vel deuorata. Si primo modo est humor ille putris, & veneficus iam dictus, ex quo à natura ablegato, quod membri obsidet statim sphacellat, atque corrumpit. Intro assumpta vel est à qualitate vitæ nostræ inimica, aut à tota substantia talis, vt supra diximus, quæ ab haurientis fortissima natura reiectata, & à corde longinqua siderationem faciunt. Exterior autẽ vel est ratione malitiæ alicuius mali existentis prius in membro gangrænando, vel ei totaliter deforis aduenit. Si primo modo sunt vlcera mala ambulatiua corrosiua, venenosæ substantiæ. Si secundo modo, est larga infusio olei in vlceribus profundis æstiuo præsertim tempore, & frigiditas, calorque medicamentorum nimium intensorum. Item & morsus viperæ, & sagitta venenata, & uenenum illitum hæc omnia corrumpendi vim habent. Opilans vias spirituum, vel ab extra accidit, aut intus consistit. Si primo modo est ligatura nimium stricta, nam vt prædiximus, quòd nimium adstrictũ est sphacelo periclitatur. Et medicamentum nimium stipticum: quia occluduntur viæ exhalationis nimium adstringendo, ex quo suffocatur virtus. Interior est phlegmon magna, quę, vt author de definitionibus Medicis habet, ex plethora antegressa fit, ex quo postmodum gangræna fit, & vel est humor viscidus, & crassus aliquo in loco contentus vias cõstringendo exhalationis, vt habetur ab Hipp. in libro de articulis commen. 3. textu 65. dum ait: Si mucosum illud prope os remaneat, cum caro non amplius vt antea os attingat, osque morbidius reddatur, tunc siderationes diuturnæ ex istiusmodi occasionibus ossibus accidunt.

Tertia & vltima causa est mixta ex corrumpente, & opilante simul, sicuti apostema calidum, magnum, fixum, malũ, grossę materiei, vt cum hoc quod retinetur transitus spirituũ propter sui grossitiem, & magnitudinem etiam ob sui malitiam membri vasa corrumpit, vt facilè est videre conditiones has omnes in maximo carbunculo, qui vt carbunculus est, malitiam habet per quam corrumpit, per reliqua autem aut suffocat sui copia, aut sui calore resoluit. Ergo habet omnia requisita: calidum enim est apostema, quia ex sanguine feruido

fit: Malum quia sapit venenositatem quandam, & præsertim tempore epidemico. Grossum & fixum, quia solida est materia, & crassa: nam 2.ad Glauc. Gale. ait, Cum vero sanguis influens calidus sufficienter extiterit,& crassus. &c. magnum debet esse,& vt plurimum est: nam ad materiei multitudinem sequitur membri mortificatio.

Sphaceli per affluxum causa effectrix est venefica, vis inimica vitæ. Materialis est humor putris,& veneficus. Formalis est liuor, vel nigror, sensus, & vitæ amisio cum cæteris accidentibus, vt in sequenti capite habebitur, quæ quidem causa finis rationem obtinet: nam secundum Philosophos, forma, & finis coincidunt, & maximè in his, quæ præter naturæ intentum sunt.

De signis sphaceli, & gangrænæ. Cap. XIII.

SIGNA, vel imminens malum hoc enunciant, vel tantum factum demonstrant, & duo hæc hoc in capite narrabuntur. Vel curationis spem, aut eiusdem desperationem docent: hęc inquam in sequenti capite tractabuntur.

Quæ igitur imminentem monstrant, pingun tur à Gal. in lib. de fracturis commen. 4. commento 17. quorum primum est magna inflammatio, ad quam sequatur secundum signum, quod non amplius ferueat. Tertium, vt non rubeat, sed liueat. Quartum, quod non doleat, sed torpeat. Siquidem hæc gangrænæ sunt initia, dum scilicet incipiunt, sed cum progrediuntur gangrænata in statu constituunt, sicuti ex perfecta gangræna sphaceli initium oritur, qui est gangrænæ terminus. Item Gal. de tumoribus præter naturam ait, Cum aneurisma grumos habuerit, tunc sphacelũ parit, & Paulus in 4. cap. de gangræna cum phlegmon nec resoluitur, nec maturatur, in gangrænam transit, & hæc de futuris dicta sufficiant.

Ad factam enunciandam accedimus, quæ vel ipsam cum sphacelo simul enunciant, vel species multas declarant. Si

rimo

primo modo, vel talem per affluxum, aut talem per coinciden tiam declarant. Si per affluxum, incipit à pustula, aut vesicula foris liuida, intus nigra, maximo præcedente, & concomitante dolore, vt pro ratione quantæ materiei locum peten tis tanta mortificatio in membro fiat; vnde sequitur, vt nigrescat, nihilque sentiat, & totaliter denique mortificetur, febris adest maligna, delirium, & syncopes, quibus omnibus stantibus morbus inuadit, abeuntibus verò circunscribitur, & æger euadit, sicuti manentibus his, s. febre, delirio, & synco pe, & dolore omnes moriuntur. Nam perseueratio mortificationis sequitur ad perseuerationem doloris.

Gangrænæ verò per coincidentiam factæ signa sunt hæc, vt sequatur ad magnam phlegmonem, vt liueat, vt tumeat tumore cadaueroso, vt torpeat, vt mollescat, vt humectetur, vt serpat, & carnes tantum inuadat. At cum nigricat, fœtet, & nihil omnimodè sentit, nec pulsat, in sphacelum transit.

Specierum signa quædam sunt communia omnibus nunc dictis gangrænis, vt liueat, tumeat, torpeat, &c. quædam sunt propria vnicuique speciei; sed propria hęc antecedunt com munia, vt si dicamus, vlcera ambulatiua, mala antecedentia transeuntia in gangrænam cum liuent, torpent, &c. hæ denotant vnam speciem. Sicuti larga præcedens olei infusio communibus applicita aliam spetiem notat. Vt ligatura antecedens communibus coniuncta constituit aliam. Sicuti infrigidatio nimia, aut calor nimius, vel aeris, vel pharmaci præcedens communibus aliam demonstrant. Item morsus veneficus, vel ictus præcedens communibus aliam designant. Antecessio hecticæ, vel phlegmonis, siccæ aliam enunciant.

Rogaret quis, à quo signa huius affectionis petuntur. Respondetur, quòd à decem. Primò, ab antecedente morbo, vt phlegmone, pustula, vlcere, &c. Secundò, à colore ante habito, sed amisso: nam loco ruboris liuet. Tertiò, à sensu dolorifico, & proprio amisso: quia torpet. Quartò, à tumore cadaueroso ob caloris inopiam. Quintò, à pulsu deperdito: quia inflammatio cessauit. Sextò, à totali vitæ, & sensus priuatione: quia non modo inflammationis, sed & membri natiuus calor extinctus iacet. Septimò, à valida calidi extranei actione: quia membrum ab ea obsessum mollitur, & hume-

ctatur ob euocationem humoris, & caloris natiui ad superficiem factam à calore putredinali. Octauò, à putredine humoris: quia fœtet. Nonò, à putredine imminente: quia liuet, torpet, tumet, & humescit. Decimò, à perfecta: quia nigricat, fœtet, & sensu omnimodè caret.

De signis prognosticis. Cap. XIIII.

HVCVSQVE omnem morbi substantiam literis mandauimus, vtpote quia nomina, & definitiones, causas, & signa descripserimus, superest vt quam curæ spem, aut desperationem morbus hic habeat, enunciemus. Non nisi alicuius magni Viri authoritate freti, ac moniti rem hanc inchoabimus enunciantis præsagiorum vtilitatem, qualis fuit Hipp. monumentum præsagiorum primò, tex. 1. dicentis. Nihil perinde Medico conducibile censeo, quam vt prudentem se præstare laboret, si apud ægros præterita, præsentia, & futura, atque ea, quæ ipsi inter narrandum omiserunt, nouerit, prædixeritque, nihil quod ægris vsui fuerit, ignorare putabitur, quo fit, vt audentius homines Medico sese committant: nam præsagia, vt Gal. ait, Medicum ab omni mortis culpa reddunt immunem, & ægros ad obtemperandum faciles, occasionemque remediorum præmonstrãt. Quonam pacto ignarus Medicus in præsagiendo prudentiæ quicquam monstrare poterit, cum inscius sit, quid ergo consilij in hoc ipso erit docet eum Hipp. in lib. de præceptis, dicens. Cum igitur ij necessariò inscij, ac imprudentes sint, hortor eos, vt commodam habeant exercitationem post dogmatum cognitionis penuriam. Quis enim multifidam dogmatum sectionem se verè cognoscere posse sperat, citra exercitationis constantiam. Quapropter hos admoneo, vt dicentibus quidem attendant, facientibus incumbant. Alterum monumentum eis condonat Hippoc. eodem in loco, dicens. Nec in decore verò se ille geret Medicus, qui in rei præsentis angustia circa ægrum aliquem, & imperitia tenebras effundente

dente

dente alios quoque accersiri iusserit, quorum communi considératione res circa ægrum inquirant, ac cognoscant, & illi cooperatores fiant, ad auxilij ferendi facultatem ; nam in affectionis assiduitate augescente affectione ob consilij inopiã plurima ad rem præsentem effugiunt.

Nostratium verò vsus est dicentibus non attendere, & facientibus non incumbere, & alios non accersire, vt soli inter Medicos adnumerentur, ac videantur, spernentes infirmorũ iacturam, atque perniciem, & animæ suæ detrimentum.

Antequam ad præsagia demonstranda accedamus, quatuor præludia ex Celso lib. 5. prænotabimus, subinde rem prognosticam aggrediemur, quorum primum est, prudentis hominis esse, eum qui seruari non potest non attingere, vt præceptum est etiam Hipp. in lib. de arte, dicentis. Et eorum qui à morbis victi sunt, curationem non aggredi, cum id in confesso sit, quod medicina tales seruare non possit. Nec subire speciem eius, vt occisi, quem sors ipsius peremit.

Secundò, vbi grauis metus sine certa tamen desperatione sit, indicare sat est necessarijs, periclitantis rem in difficili esse, ne si victa ars malo fuerit, vel errasse, vel ignorasse videatur.

Tertium est, vt hæc prudenti viro conueniunt, sic rursum histrionis est, paruam rem attollere, quo plus se præstitisse videatur, vt circulatores, & scioli faciunt.

Quartum obligari æquum est confessione promptè rei, quod etiam curiosius circumspiciat, ne quod per se exiguum est, id curantis maius negligentia fiat.

Finitis præludijs rem Prognosticorum cum Gal. 3. Metho. aggrediemur, dicit igitur: Hoc ipsum artis esse opus, vt intelligas sperare, ne id quod tendis debeas, an secus, cuius duplex est via. Ab experientia, cui longo vsu est opus. A ratione, quæ à natura rei desumitur, quæ cuiusque particulæ substantiam, actionem, vsum, situmque perpendit: hæc igitur erunt nostrorum præsagiorum capita alijs quibusdam annexa, ita quòd omnis præsagiorum vis nostra in his potissimum versabitur, scilicet.

In ægro tanquam in toto in quo & malum est, & in quo cura fiat. In membro tanquam in quo præcipuè malum sit, & in

quo

quo topica cura fiat. In morbo tanquam in quo cura intenditur, & tanquam afficiens totum, & partem.

In causa tanquam ex qua, vel fit, vel factus est morbus. In modo curæ per quem aptius, aut ineptius morbi vis profligari potest. In via per quam, tanquam per vehiculum in præsagiorum cognitionem manu ducimur, quæ tametsi vltimo à nobis descripta sit, nihilominus tamen primitus tractabitur tanquam primitiuum, à quo omnia iam dicta capita deriuāt, & vt etiam Galeni rectum ordinem sequamur, viam primitus describentem.

Via igitur à Galeno descripta duplex erat, nempe ab experientia, à ratione. Attamen quæ ab experientia proficiscitur ab Arist. 1. Method. plurimum commendatur: nam expertos magis proficere videmus, quàm sine experientia rationem habentes. Experientia etenim singularium est, quibus, & cum quibus medemur: cognitio verò, seu ratio vniuersalium est, quibus, nec cum quibus medemur; non enim homini, aut febri, aut pharmaco medemur, sed Socrati tali febre laboranti, & tali pharmaco medemur. Illud idem sensit Celsus libro 1. cap. 1. dicens: Cum igitur illa rationalis incerta incomprehensibilisque sit, à certis potius, & exploratis præsidium petendum est, idest ijs, quæ experientia in ipsis curationibus docuerit. Boetius in lib. de disciplina scholastica cap. 1. ait: Sic scientia sine vsu parum; vsus verò sine scientia multum prodest.

Requirit igitur experientia longum vsum, & hominem diutius in medicandis his morbis versatum, vt euentus multos viderit tam ad bonum, quàm ad malum succedentes. Nos igitur sæpe vidimus plures mortuos esse à gangræna, seu sphacelo per affluxum, quàm per coincidentiam facta.

Rursus vidimus in ea, quæ per affluxum fit, plures emortuos, quàm seruatos dum vigilijs, delirio, syncope, & febre maligna opprimebantur.

At absentibus his multos, sed maxima cum difficultate conualuisse.

Amplius vidimus eam factam, s. ex coincidentia, sed magnā valde, & prope membra principalia, & prope iuncturas, & prope magna vasa existentem multos occidisse, inter quos nuperrimè fuit nobilis quidam adolescens Ciuitelensis oppressus à

fus á sphacelo in brachio, & á gangræna in humero, & pectore emortuus. Et hæc de experientia dicta sufficiant.

Secunda via erat ratio, quæ ægrum membrum, morbũ, causam, curamque perpendit. Aeger igitur vt Aretęus ait primo curationum cap. 1. nullo pacto silere oportet, erubescens ne morbus á Medico deprehendatur, neque aufugere debet vim curationis metuens, vtrumque enim ad morbum insanabilem efficiendum conducunt. Nisi igitur morbus á Medico pręsciatur, minimè opem ei ferre poterit, idem aduenit si curæ vim respuens metuerit. Quis quæso Medicorum inuito ægro, aut ignem, aut sectionem administrarit. Si igitur æger erit euchymus, & in reliquis sanus, Iuuenis, & fortis, & Medico comes, bonam curæ habebimus spem: Si cacochymus, aut valetudinarius, vel imbecillis, vel senex fuerit, vel puerulus, malum pronunciabimus.

Membrum autem consideratur, prout habet talem temperaturam, substantiam, vsum, actionem, situm in corpore.

Temperatura igitur calida, & humida omnium culpatior est, vt iam antea descripsimus. Minus verò culpabilis frigida, & sicca est: nam sicuti prima corruptioni aptissima erat, ita hęc minus curationi obnoxia, imò ei rebellis erit, præsertim si ab aeris eadem temperatura auxilietur. Quę verò mẽbra inter hæc duo media erunt, quo magis ad vnum extremorum sese appulerint, eo magis vel apta, vel inepta corruptioni dicentur, & sic caro facilius, & ossa difficilius gangręna patientur.

Substantia verò indicat, molliora, rarioraque membra facilius á gangręna corripi, & difficilius curari, quam duriora, & densiora, quoniam hęc illis contraria sunt. Media verò medio modo se habebunt.

Actio quoque demonstrat tum bonum, tum malum: quia quanto nobilior hæc erit, & in corpore vniuerso communica bilior, proculdubio is morbus periculosior erit, vt est actio membrorum principalium, quibus cum aduenerit gangræna ob actionis præstantiam lethalissima est.

Vsus quoque indicat. Nam si quando in membro magni vsus gangræna fuerit, periculosior erit, quàm si in membro minoris vsus extiterit, & maximè si vsus ille toti sit valde

com-

communicabilis, veluti si quando in ore, vel gutture fuerit: quia masticationis, & deglutitionis vsus est maximus, & quia via cibi est, & cibus deglutiri, nisi masticatus, non valet.

Igitur si masticatio non poterit fieri; vel si deglutitio impedita fuerit ex gangræna, priuato homine hoc vsu omnino, vt intereat, oportet: saluior itaque erit, si aut in pede, aut manu fuerit: membra enim hæc vilioris vsus sunt.

Situs etiam enunciat, idest priorem esse gangrænam in internis, quàm in externis: interna siquidem, vt Galenus testatus est in libro de atra bile, illis ijsdem afficiuntur morbis, à quibus externa correpta sunt. Dicit igitur Galenus, non ergo putes corpora nostra intus adamantina esse, adeô vt non possint ijsdem affici morbis, quibus exteriora afficiuntur. Membra etenim sic affecta, mortalia sunt: quia cum rara, & mollia sint, & in loco calido, & humido conclusa facilè corrumpuntur, ac eorum corruptio diuagatur, & eo præsertim cum ab auxilio, quod à superpositis medicamentis, & à ferro, & denique ab igne petitur, remota sunt, ideo mortem magis minantur, quàm externa: externa verò periculosiora sunt, quæ apud iuncturas, & principalia membra consistunt: saluior itaque erit gangręna ab ipsa remota.

Morbi autem consideratio talis esse debet: nam si malignus erit valde, vt in gangræna per affluxum, mortalis erit; si per coincidentiam verò fuerit; saluior erit: Etenim minus malignus morbus is est. Morbi item inuasio hominis iugulũ prædicit ex libro de tumoribus præter naturam: nam vicinas sedes inuadit, & hominem iugulat. Cum vero morbus remedia spernit, tunc valde malus est, sic afferente Celso lib. 5. quia solent nonnunquam omnia auxilia nihil proficere, & nihilominus serpere is cancer. Identidem monstrat morbi vis supra remedium exemplo Aretæi in libro de diuturnis passionibus cap. de elephantiasi, id, quod de ea Aretæus cecinit, nos de gangræna dicemus. Morbis quò dissoluantur, maiora esse remedia oportet, quęnam ergo tam potens excogitari potest medela, quæ gangrænam, seu sphacelum per affluxum expugnare valeat. Ergò malum omen portendit.

A morbi celeritate penes effectam, & penes curæ præstolationem accipitur pręsagium, secundum Gal. in lib. de tumoribus

ribus, præter naturam dicentem, hanc nisi quis cito curauerit, membrum sic laborans facilè moritur. Ergo malum. Causa propensio talis esse videtur; nam ea vel est ab intro, vel ab extra; si externa, aut est maligna valde, aut parum. Si valde, vt morsus veneficus, & venenatus sagittæ ictus, mortem enunciant; quia maximum eis inest venenum: si verò à non multa venenositate corripitur, vtpote quia vel fit ratione vel infrigidationis, vel calefactionis plurimæ, saluior erit: si verò interna, vel ea est intus generata, vt humor putris, & veneficus, vel intus assumpta, vt potus veneficus, vel in nobis attracta ex inspiratione aeris pestiferi, hæ omnes mortem acclamant: quia pessimæ, & lethales sunt causæ.

Curæ modus portendit bonum, & malum: nam si in præseruando tantum sit, & fiat, vtpote quia gangrænam notat, saluior erit, nam tota gangrænæ cura stat in præseruando membrum à corruptione, & morte, quæ fit cum medicamentis exclusis piroticis. Si verò ferro, igne, vel crustificis fiat, vtpote quia sphacelum denotant, cui talis cura debetur, quia peior morbus est, quàm gangræna, quia sicuti illa saluior erat, hic peior est, quia extremus est morbus, cui extrema competunt auxilia, vt ferrum, ignis, & ignita, à quibus si non sanatur omnino insanabilis erit, iuxta decretum Hipp. 7. Aphoris. in fine, scilicet quæ mala non sanant medicamenta, ea ferrum; quæ ferrum non sanat, ea sanat ignis; quæ ignis non sanat, omninò insanabilia esse putato.

Solemus etiam præsagire malum ex parte Medici secundum Arethæum loco citato, dicentem, neque Medicum pigrum, ignauumq; esse oportet, scilicet in offerendis opportunè maximis remedijs, scilicet misericordia motum in explorandis, in dilatandis, in incidendis, & vrendis morbosis membris, ne videatur immanis, ex misericordia tali in carnificinam deuenit. Nam, vt ait Arethæus ibi, ad malum insanabile hæc conducunt: malunt enim ægros morte conficere, potius, quàm misericordis nomen amittere.

De cura interiori gangrænæ, sphaceliq; initiando. Caput XV.

POST morbi cognitionem quoad fieri potuit optimam, sequitur, vt eiusdem describatur optima cura. Nam ex lib. Hipp. de arte habetur, si Medicus ad cognoscendum morbum sufficiet, vtique & ad curandum eum quoque sufficiet. Eiusdem sententiæ fuit Actuarius vir vndiquaque doctissimus 3. sui Methodi cap. 1. inquiens. Curationem non rectè institui posse, nisi probè morbus agnoscatur: iure igitur merito post morbi cognitionem operæpretium erit, eiusdem curationem literis mandare. Cum igitur gangræna, & sphacelum non nisi mortificationes membrorum sint, secundum perfectum, & imperfectum distinctæ à putri, & venefica materia factæ, igitur mortificatio effectus erit, sed putris, & maligna materia eius effectus causa erit. At cum effectus tolli non possit absq; causæ submotione: quia ad causæ ablationem causati sequitur amotio, prius igitur causam tollemus, postea effectum auferemus. Causa autem tolletur, si facta euacuabitur, & hoc in toto hoc capite fiet. Si vero futura sit, prohibeatur à regeneratione aduerso victu; & hoc in capite sequenti tractabitur. Ad euacuationem nos suadet Hipp. in libro de vlceribus, dicens, Bona pars vlcerum purgatione eget, vbi periculum instat, ne quid corrumpatur; sed longè clarius euacuationis opportunitatem, & pluralitatem depictam habemus à Galeno 1. de tuenda, dicente, Quæ id, quod in corpore iam corruptum est, sanata ipsa est euacuatio secundum omnes modos facta, veluti per aluum, per vrinam, per vomitum, per sudorem, per moderata denique exercitia.

Per aluum igitur consulto Auicenna in tracta. de viribus cordis, Agaricum laudabat in venenis, cui inest theriacalis proprietas in confortando cor contra omne venenum: est enim & catarticum, & alexiterium simul, & 2. Canonis trac. 2. quantitatem eius descripsit, dicens, Cum eius potetur

aureus

aureus vnus) cum vino calido. Item ait, Aristolochiæ & Agarici anna aureum vnum exhibet, & succo elenij excipit; Aut succum elenij miscet cum rhabarbaro, & sic alexiterium euacuans conficit.

Per aluum etiam ducunt clysteria, glandes, copulæ vmbilico affixæ secundum ægrorum posse, & velle.

Per vomitum purgat lac pingue, oleum minimè rancidũ, vel ex amygdalis dulcibus, vel amaris, iura pinguia, butyrum cum succo Mercurialis, aut blitis vomant ex longioribus interuallis à cibo, & ieiuni præpotato raphani, origanive, aut thymi decocto, caueátque à vomitoriis acribus; quia os stomachi imbecille reddunt.

Per sudorem purgato ℥. s. salis Theriacalis cum aquæ cyclaminis hausti cyatho.

Per vrinam educit hoc, quod Recipe cyphidis drach. 2. cum aquæ chelidoniæ cyatho vno, vel medicamenti ex cantharidibus Auicennæ, quorum dosis est à scrup. 3. vsque ad drach. 1. cum aqua tepida.

Euacuatur etiam per phlebotomiam ex præcepto Celsi dicentis, In eiusmodi casu primum est, si vires patiuntur sanguinem mittere, s. vbi talis humor redundauerit, cuius quantitas pro ægrorum virili pensanda est. Obijceret aliquis, phlebotomiam minimè oportunam in materia venenosa, cum Auicenna sexta quarti, in morsis à cane rabido abdicat eam. Respondetur, quod secus est in materia venefica intus generata euacuanda: quoniam ex phlebotomia materia venefica intus existens ad extra trahitur, quod secus est in morsis à cane rabido: nã per phlebotomiã exterius existens materia ad intus trahitur, & ob id renuitur ab Auicenna. Amplius, si ipse Auicenna cap. de Althoin omnium venenosissimo tumore concedit phlebotomiam, quanto magis in gangræna, ac quæ longe minoris venenositatis est. Dicit igitur Auicen. necessaria est euacuatio cum phlebotomia cum eo quod tolerat hora.

Vltimò per exercitia fit euacuatio: siquidem malè habentibus infirmis partibus fiat gestatio superiorum. Econtra verò existentibus crurium motio fiat, vel vectio in lectica, aut in curru, vel vociferatio, nisi ægri valdè male sese ha-

 beant,

beant, vt cogantur decumbere; nam loco talium gestationum frictiones multæ, & acres inunctiones cum oleo bullito, cum aqua, & nitro, vel artuum scarificationes.

At quoniam subiectum putredinis est humiditas, igitur omnimodè siccanda est his exhibitis pillulis ad drach. pondus ex aloe, croco, & myrrha, succo elenij formatis, bisque in hebdomada deuoratis. Eundem vsum præstat Theriaca, aut Mithridatica confectio ad semi drachmæ quantitatem cum drachmis duabus conseruę, vel cichoreæ, vel oxalidæ.

Post primam superius dictam euacuationem, vt materia quoad fieri potest, promptius educatur, corrigatur que, & febri aliquid condonetur, bibendus est syrupus iste factus ex syrupo de accedula, & de foncho ana vnc.1. Aquarum cichoreæ, acetosæ ana vnc. 2. facta igitur ex hoc syrupo aliquali materiei mitigatione soluatur cum hoc solutiuo, quod Recipit syrupi de fumaria solutiui vnc. 4. Confectionis hamech drach.4. aquæ cardebenedictæ quantum sufficit fiat haustus.

Si æstus, vel febris ingruent: quamuis magna antidota apprimè huic morbo propitia sint, nihilominus quandoque ad antidota parua confugiendum est; quandoque verò ascendendum est ad magna, secundum mali, & accidentium, & temporis opportunitatem. Ex paruis verò non improbandum est tale, quod, recipit conserue factæ ex acedula, ex cichorio, ex soncho, ex cortice denique citri ana vnc. 2. Ex semine citri, & ex bolo armeno orientali & puluere scordij, & cardibenedicti ana drac. 2. syrupi de scabiosa vel ex succo galegæ quantum sufficit, fiat electuarium. De quo per duas horas ante cibum assumat cochlearium vnum, epithemata cordialia, inunctiones cordiales cum speciebus cordialibus temperatis è regione cordis tepidè applicentur. Species verò ille sunt traditę, & compositę ab excellentissimo abauo meo Bartholomæo Montagnana seniori in suo Antidotario, & depictæ, atque auctæ in consilio de præseruatione à pestilentia facto ad Adrianum Pontificem Maximum per eximium medicum auum meum Bartholomęum Montagnanam iuniorem, quarum etiam habetur mentio in consi-

lio

lio de præseruatione à venenis ad Zachariæ Dominum facto excellentem parentem meum Iacobum Montagnana.

De victus ratione. Cap. XVI.

Actvarivs quarto sui Methodi cap. 3. ait, In omnibus scire licet, quod quò medicamentorum temperies vergit, eò reliqua omnis victus ratio inclinare debet. Nam si quis rectè iudicauerit morbum aliquem ad sui curationem remedijs calidis, vel frigidis egere, & cibus eis non responderit, quis quæso morbum propulsabit, si cibus medicamentis aduersetur? At cum victus ratio vel in quali, vel in quanto modum habere debet; si igitur in quali, quæcunque putrescunt, à calido, & humido non perspirato, putrescunt, eius igitur oppositum erit frigus, siccitas, apertio. Igitur semper cum carnibus euchymis, pro ferculo coquemus, vel cichorium, vel acedulam, vel citri pars acida, vel denique acetum. Vinum sit dilutum, album, nec acerbum; sed potius acidum sapiat; panis sit hordeaceus, carnes sint ab excrementitia humiditate, & pinguedine immunes, ex animalibus exercitatis, vt ex syluestribus, palumbis, & gallinis, & phasianis, & perdicibus, & auibus minutis nemoralibus. Potest etiam loco vini, stante febre, vti aqua acedulæ cum syr. acido, comedatque acedulam, cichorium, sonchum, & boraginem in brodio cocta.

Sat hucusque diximus de ciborum qualitate, nunc de eorum quantitate aliquid statuendum est; nam de eius excellentia in lib. de veteri medicina Hipp. scriptum reliquit, quod abstinentia magnam potentiam in hominis natura habet, & sanandi, scilicet si modũ habeat, & debilitandi si modum excedat, & occidendi denique si omnibus, vt aiunt, numeris limites naturæ excesserit. Item in libro de præceptis normam quantitatis præscripsit, dicens, Contractam victus rationem non diu perscribunt: ægrotantis enim diuturnam concupiscentiam erigit indulgentia in morbo diuturno,

vnde

vnde in lib. de vlceribus idem Hipp. ait. abstinentia cibi, & aquę potus cunctis prodest, vbi periculum est, ne corrumpantur. Celsus verò maximus Hipp. interpres, dicit, Præcipuè in hoc casu petendum est, non à medicamentis solum; sed à victus ratione præsidium. Igitur primo nisi imbecillitas cohibeat abstinentia imperanda est, vsque dum vitium consistat, tunc verò plenioribus cibis vti licebit. At nos ita ordinatim procedęmus, incipientes à ptisana hordeacea in aqua oxalide facta per quatuor dies: subinde ad panatellam cum semine melonis, & syr. acido congestam per sex dies. Postmodum ascendendum est ad oua, & carnium iura; vltimo à iuribus ad carnes, & ad vinum prædictum iuxta mali, & virtutis vim, & imbecillitatem, regionem, ætatem, consuetudinem, & anni tempus.

De Topicis auxilijs. Cap. XVII.

CVM hucusque causæ submouendæ operam nauauimus, superest, vt ad affectum collendum nostra hæc vertatur oratio. Sed quoniam maleficus dolor sic appellatus à Galeno 6. vulgar. commen. 6. commen. 5. à malefico humore factus est, plurimum angit, idcirco ei primitus incumbemus: quia habet rationem vrgentis, & accelerantis; sed non ob id negligemus sanarum partium tutelam.

Pro dolore igitur quatuor multoties experta remedia recitabuntur, quorum primum erit oleum viperinum per petiam in eo madidam applicitum. Secũdum est oleum de ouis cum sale theriacali commixtum. Tertium est cępa cocta cum theriaca commixta. Vltimum est oleum nostrum ex scorpionibus factum.

Partes sane circumcirca existentes à putredine quoad fieri potest vindicabuntur cum hoc linimento ex bolo orientali, & aceto mulso confecto in liquidissimi linimenti formam redacto.

Pacato dolore in morbi curam deueniemus. Morbus autem hic integra est mortificatio, quæ viuificari nequit, sphacelum

celum namque, & non gangræna est: etenim à priuatione vera ad verum habitum non datur regressus, naturaliter loquendo: siquidem ab integra morte ad vitam, nullus est regressus; igitur cum Celso dicemus, ad hoc vnum, quamuis miserum, remedium confugiendum esse, vt cętera pars corporis tuta sit, vt totum mortificatum eximamus; ait enim quicquid aridum est, & intentione quadam proximum quoque locum male habet, vsque ad sanum corpus exscindere oportet. Illud idem sensit Gale. 14. Meth. dicens, Quorum uerò, & locus affectus ipse vnaquepiam particularum naturalium est, prima indicatio sit vt affectus sanetur. Secunda ab hac, si insanabilis is sit, vt vna cum vitio pars affecta quoque ipsa exscindatur. Sic enim sensit Hippoc. in lib. de diæta dicens, Punguntur, & secantur marcida à Medicis, & sanant, ac viuit homo. Medicina enim id quod molestat, tollit; id, à quo homo ægrotat, auferens, sanum facit.

Quantum autem debeat exscindi, vt Celsus dicit, etiam Gal. confirmat 2. ad Glauc. dicens, Etenim cum ita membrum effectum est mortuum, vt nec punctionem, nec sectionem, nec vstionem sentiat, statim ipsum rescindere oportet, qua vicinam sanam partem attingit. Ex quo habemus, quod donec sensus aliquis adest, locus nec exscindendus, nec vrendus est. Omnino namque emortui membri subsidia hæc sunt.

Quid pro tutela sani post excisionem fieri debeat, Galenus subdit. Ad maiorem partis sanæ tutelam, post abscisionem eius, quod iam putruit satius est ipsius mali radices parti sanæ coniunctas adurere. Celsus autem vstione vtitur cum malum adhuc serpit, at Gale. ea vtitur ne mali radices adhuc serpant. Dicit igitur Celsus, si nihilo magis malum consistit, vri id, quod est inter integrum, & vitiatum debet. Quare ex Galeni, & Celsi dictis, his duo eliciuntur documenta, quorum primum est, vt quod rescindi debet, sit quod iam putruit, & non id, quod adhuc putrescit. Secundum documentum est, quod non debemus vrere sanam partem; sed ægram sanæ coniunctam, ne ex dolore fiat nouus accursus, & nouum malum. Post vstionem ait Gal. solemus vti succo porrhi per madentes petias membro

vsto applicatas,eo quod dolorem ex vstione concitatum leuat, & malignitati obstat.

Sed interdum patientes ferri,ignisque vim metuunt,ideo pirhoticis vtemur pharmacis à leuioribus ad validiores:subinde ad validissimos ascendendo, dum ipsiusmet ignis vires inueniamus, incipiendo ab oleo æruginis æris, ascendendo ad id, quod ex calce conficitur, postea ad stibijte; subinde ad sulphureum, mox ad calchanthide, & ad aquam ardentem chimistarum, vltimo ad ignem adeptum Ioan. de rupe scissa deuenientes. Semper circumiacentia loca replentibus munientes, ne vi attrahentis doloris accursus maior fiat.

Cum ignis duplex sit, Naturalis, quem actualem dicunt: Artificialis,quem potentialem appellant,quæritur quis istorum hoc in casu probatior sit. Actualis siquidem is erit, qui per ferramenta ignita datur; quia malignitatem nullam membro communicat, imò membro infixam adhibuit, ac corrigit.

Et quia quantum sua igneitate tangit, tantum non solum liquat; verum etiam calore ardenti absumit, & quod vna in hora conficitur, à potentialibus in centum non fiet: Pyrrhotica enim plus fundunt, liquant, & profundare faciunt de materia suo tepidiori calore, quam consumunt, vt facilè cernitur ab vna ad reliquam medicationem luem illam semper degrassatam esse,& quod vno tantum dolore excitato fit in vnica hora ab igne, in pyrrhoticis verò in multis horis, & in multis & diuturnis doloribus,ac cruciatibus maiori cum patientium iactura fit. Ignita verò ferramenta valde rubida esse debent; quia simul fundunt, & absumunt, & citum opus faciunt; alioquin è contrario fit. Eorum numerus,& forma membro, & mala apposita esse debent: Vices autem,seu reiterationes vna post aliam immediatè esse debent, & vsque dum fumus vllus ex carnibus, & ossibus vstis demandetur, & vt aridissima eschara fiat. Quæ calastico, scilicet Macedonico, aut tetrapharmaco,aut sesami farina cum melle,aut naphta relaxari debet, postea abstergatur abstersiuo ex succo allij, vel ex succo foliorum lilij, subinde vero cum iside vnguento vlcus impleatur. Vltimò palmite vnguento consolidetur.

De

De cura gangrænæ, & sphaceli permutando per victum, & per internum pharmacum. Cap. XVIII.

CVM grauioris morbi iam iam curam descripsérimus, operæ pretium est; vt leuioris quoque morbi curam agamus, à victu, internoq; pharmaco initium sumentes. Victus sit is, qui supra descriptus fuit tam in cibo, quàm in potu.

Quatenus ad corporis purgationem purgetur cum cassia, & thamarindis, & serapio de fumo terræ solutiuo commixtis cum aqua oxalide. Quantitas autem sit secundum regionem, ætatem, consuetudinem, ægrotantis robur, & anni tempus, & humoris facilitatem, vel difficultatem in euacuando, & corporis fluxibilitatem, vel stipticitatem.

Quæritur, vtrum tot iam descriptæ in anterioribus capitibus euacuationes, competant in hoc morbo, sicuti in iam dicto. Respondetur, quod non: quia huius morbi materia extra est, quamuis eius vapores interius ascendere possint; nihilominus facilius adimuntur; sed in morbo facto ab initio interna erat materia, & malignissima, quæ citius per tot vias debebat euacuari, ne mortem patienti inferat.

At si febris adsit, detur syrupus iste de soncho, & de oxalida an. vnc. 1. aquarum cichorei, & sonchi anna vnc. 2. postea soluatur cum hoc, quod, recipit serapij de fumaria solutiui vnc. 4. diacatholici vnc. s. diasenæ drach. 2. aquarum oxalide q. s. fiat potio.

Pro belzoartico, vt cor tueatur à sublatis putridis effluuijs exhibeantur antidota parua, vt theriaca de terra sigillata Auicennæ, vel antidotum Pauli in 5. vel hoc, quod recipe terræ sigillatæ, boli armeni orientalis an. drach. 1. semin. citri drach. 2. conseruæ oxalidæ, syrup. acetosi anna vnc. 1. m. fiat electuarium in quatuor vicibus deuorandum.

De cura topicæ gangrænæ permutando Cap. XIX.

NVLLVM vidimus authorem hucusque tam ex priscis, quàm ex recentioribus, qui causas, & curam gangrænæ,& sphaceli permutando melius tenuerit; & qui causas eius imitando factæ melius intellexerit ipso Auicenna; vnde qui ipsum mordent,vel ipsum non intelligunt, aut lepori potius, quàm doctrinæ sunt addicti. At vt institutum nostrum aggrediamur,curam hanc secundum Auicēnam describemus. Quæ vel est gangrænæ, vel sphaceli:si gangrænæ, vel prout incipit, quod per liuorem, tumorem,torporemve cognoscitur. Vel prout materiei copia multa pro causa inest, quæ euacuatione egeat, vel prout debeat post euacuationem curari. Vel prout putredo magis inuadit, quod per mollitiem, & humectationem additam liuori, & tumori, torporique in membro gangrænato cognoscitur. Vel prout simul cum putredine instat erosio, vel prout inflammatio in circuitu gangrænati membri auferri debeat, ne gangræna maior fiat.Si curatur sphacelum vel est initiās,vel perfectum, & sic omnis ab eo huiusmodi affectuum consumatur cura, cui nihil addere, nec minuere est, quia perfecti.1. de cœlo talis est natura.

Si igitur initiantis curam quærimus, scire oportet ex Auicenna, quod de gangrænis dum in principio perseuerant,speratur vt sanentur, scilicet viuificatione. Vnde si incipit, tumet,torpet,& liuet,vt diximus,tunc oportet vt succurras cum linimento ex boloarmeno,& terra lemnia tritis cū aceto:nos autem addimus sal, & vstum quidem: quia magis penetrat: tenuius namque est, & quia 11. simplicium cap. de sale, salis probatur vsus in his, in quibus suspecta est putredo:quia non putridæ carnes ab eo immunes à putredine seruantur, & quia quæ acria erant, 9.simpli.cap.1.multum caloris amittunt,vsta igitur ex toto hoc linimento prohibetur putredo; quia ea constat ex calore præter naturali, & humido excrementitio, & hæc omnia, quæ linimentum ingrediuntur: quia frigida,&

sicca

ficca sunt, & penetrant ex quadrato respondent humiditati; quia ea omnia ficcant tumori: quia sal resoluit feruori; quia bolo, & terræ lemniæ, & aceto inest frigiditas, penetratio autem à sale vsto tenuiori reddito, & aceto fit. Fit igitur acetum ex vino albo potentissimo & valde acre: sal igitur sit albissimum, & tenuissimum, & excrementis minimè mistum.

Si progreditur quia materia sit multa valde, quæ non alteratione; sed euacuatione tollitur, quod per tumorem magnum cognoscitur; & quia linimento iam dicto non obedit, tunc scarificatio; si superficialis tumor sit; si verò profundior scalpelatio, vel hirudinum applicatio, vel phlebotomia circunstantium venarum simul oportuna sunt, vel omnes, vel aliquæ earum, vt materiei multitudo, & moderantia requirit. Vnde Gal. 2. ad Glauc. cutim vniuersam multis sectionibus, & profundis secare oportere dixit, vnà cum subiecta substantia; aut plurimis profundisque scalpelationibus incidere, sanguinemque emanare permittens, & eum subinde spongia detergere, vel vt Oribasius præcipit 7. synopseos cap. 27. dicens: sanguis enim corruptus detrahendus est, aut vena secta, cum in ipso membro vena magna turgidaque sit: postea verò aliquod ex medicamentis ad putrescentia vtilibus imponere debemus, in delicatis etenim, & pueris, & mulieribus sufficiet farina hordei, aut fabarum cum syr. acetoso. In ficcioribus verò naturis vtenda est farina erui, aut lolij; aut lupinorum cum oxymelite. Intentiò etenim est per hoc emplastrum concretum fundere sanguinem, vt per factas sectiones fluere possit; quia ab aere densatur sanguis.

Post euacuationem talem factam, si insufficiens erit, emplastrum illud iam dictum fortius imponit fundens, liquans, ficcans, & resoluens, dicens, Et de illis, quæ desuper liniuntur est, id quod recipit assæ seminis vrticæ, aristolochiæ rotundæ an. vnc. 1. floris æris vnc. s. fucci foliorum acori vnc. 1. terantur omnia ex aqua; sed ego acciperem ex aquis medicatis, qualis est aqua oxylapati, quæ nec calet; sed abstergit, & aperit, & penetrat, de quo linimento etiam in circuitu inungi præcipit; sed nos magis laudamus pharmacum tale supra gangrænam, quam in circuitu eius, quia multum calet: eligerem potius in circuitu imponendum id, quod ex bolo arme-

no, & terra lemnia ex aceto tritis conficitur. Assæ vires, 2. canonis cap. de assa, inesse multas dixit; sed magis post scarificationem apostematum fraudulentium, & mortificantium laudat, dicens, Si ponitur assa super ea, confert. De achoro ait, Subtiliat, aperit, & abstergit, quæ omnia hic requiruntur. De flore æris dixit, Abstergit, siccat, & est subtilium partium. De vrtica 6. simpl. Gal. quod valet ad gangrænosa, & ad cancerosa, & in totum, quæ siccari citra mordicationem postulant vlcera ea conuenienter sanat, nimirum cũ subtiliũ partium sit, & temperaturæ siccę, nec mordacem caliditatem habens.

Curat etiam eam prout progreditur, & putredo magis sese offert, dicens, Si pertransit hæc dispositio magis adhuc dispositionem apostematis, i. quod magis elongetur à natura phlegmonis, vt iter versus sphacelum tẽdat, quod cognoscitur, quia membrum mollescit, & humectum magis redditur, tunc est in via putrefactionis, quia effectus eius per illa duo signa cõstanter monstratur. Nam 4. Metheor. cap. 1. quæ putrescunt primum humescunt: deinde siccescunt: proprio etenim calore exolescente naturalis humor vnà cum eo per vaporem mittitur, & foris humectatur, atque flauescit, vt in pomis putrescentibus veluti sudore madentibus deforis perspicuè cernitur: mollescunt namque ex Galeni sententia 11. simplicium cap. de sale: quia quæcunque putrescunt excrementitium obtinent humorem, substantiamque tum dissolutam, minimeque compactam habere oportet. Ergo mollescunt. ac cum contrarium mollitioni, & laxationi densatio sit, & humectationi siccitas, iure igitur merito medicamentum tum validè stipticum, tum verò validè siccũ imponi debet, vt laxitati stipticitate respondeat, humori vero siccitate. Dicit igitur accipi debere gallarum, & aristolochiæ æquale pondus, & in tenuissimum puluerem redigere, & gangrenatum sic aspergere: si vero linimentum ex eis maius facere acetum quam acerrimum adde, & in linimenti formam redige. In eundem vsum; sed fortius distat alterum constans ex calchanto vsto, aceto accerrimo trito: nam quia stipticum valde, & siccum valde est: imò validissimè, igitur ex quadrato fortius, quam prius respondet. Calchantum enim 9. simplicium, omnium maxime condire, & seruare humidas carnes à corruptione potest, nimirum

caliditate humiditatem absumente, atq; adstrictione substantiam contrahente, constipanteque, & humiditatem exprimente, igitur constringit, contrahit, exiccat in sese totius carnis substantiam. At acetum aperit, & validè siccat, obidque putredini obstat, & quia aliquantisper friget calchanti pirrhoticam vim demulcet; quia hoc in casu nondum pirrhoticorum vsus conuenit.

Curat corrosionem tanquam accidens aduenien in biliosa tantum gangræna cum linimento facto ex flore æris, qui abstergit, & adstringit, siccatque cum tenuitate substantiæ, & ideo corrosioni obstat, & quia vehementer abstergit,& parum adstringit, igitur alumen immiscet, & hoc ideo etiam fit, vt magis corrosioni resistat: mel verò addit tam ratione materiæ, vt hæc sicca hoc humido commixta formam linimenti induant, & vt etiam putredini resistat: siquidem fructus horarij alijs corruptibiliores melle conditi per annos à corruptela immunes seruantur. At quia abstergit,& concoquit humorem illum acrem erodentem: ideo peroptimum est. Eligendum autem est mel illud, quod Sardonicum à Galeno nuncupatur, siquidem amarum est hoc, & quid abstrictionis retinet: ideo his duobus nominibus, & corruptelę simul, atque inuasioni prodest.

Curat demum vltimum accidens, dicens,& quando magnificatur apostema, idest inflammatio in circuitu putrefacti, tũc laudatum est saccis cum succo hyoscіami: quia inflammationi resistit. Quo autem loci debeat poni, an supra inflammationem, an alibi, dicit, verum apud me non est bonum ei, s.inflammationi: quia.s mortificare potest; sed super locum sanum, vt prohibeat ab ipso, & repellat inflammationem ab eo. At nos dicimus tuto supra inflammationem imponi posse emplastrum ex parietaria, copta, & farina hordei commixta, quia ex hoc nec ob frigus potest mortificare, nec stipticitatem potest poros occludere; sed refrigerat, atque resoluit, & aperit.

Sphacelationem curandam aggreditur, quæ. s.est terminus immediatè à gangræna descendens, cum trochiscis Andronij, vel Polidæ, vel Musæ, vel Pasionis, à quibus reiteratis crustæ reiteratæ fiunt; ita quod post relaxationẽ primæ crustæ cũ butyro

tyro

tyro vel naphta secunda crusta ex trochiscis succedat, donec vniuersum mortificatum tollatur.

Si verò perfecta fuerit mortificatio, tunc ait, Cum autem confirmatur corruptio in carnem, s. vt in sphacelum completam deriuet, tūc necessarium est accipere totum ipsius, s. membri corrupti, s. ferro exscindente: nam cum à Gal. 2. ad Glauc. habetur, omnino membrum affectum est mortuum, vt punctum, sectumve, vel vstum non sentiat, quæ pati debet, statim exscindere oportet qua sanam partem vicinam attingit: nam quod ita affectum est, denigratur, ex quo cognoscitur. Quid verò subinde faciendum sit, Auicenna dicit, cum inciditur membrum, quod putrefactum est, tunc oportet vt cauterizetur illud, quod continet ipsum cum igne. illud idem habetur ex Galeno 2. ad Glau. dicente, satius est ad maiorem securitatem, quando abscindis, aut circumcidis id, quod iam putruit eam, quæ veluti quædā radix est sanę parti adiūctam adurere, sicuti in pudendis fit. Nonnunquā malè affectis partibus, quę adurunt, s. pharmaca afferentes, s. loco ignis. Post vstionem solemus vti succo porrhi, postea crusta ex naphta, vel Macedonico demolliatur, vel pane, apio, ozymo simul tritis, vel orobi farina, melle, thureque commixta. Subinde verò locus abstergatur, impleatur, consolidetur, vt antea dixi.

Non multa; sed bona, arteque selecta, & parata remedia descripsimus, vt in similibus condendis studiosi exerceantur moniti Anthei uiri grauissimi authoritate, in li. 1. curationum cap. 5. dicentis: hæc à me in acutos morbos remedia scripta sint, oportet autem iuuenem Medicum, & ipsum aliqua suo marte sibi comparare, neque omnia ex alienis commentarijs semper depromere.

An sint aliæ illius materiei Gangrænosæ euacuandæ species præter prænarratas. Cap. XX.

VT discentium animi excitentur, eorumque intelligentia vegetior fiat, doctrinæque gratia quæritur, Vtrum ne sanguis ille adstrictus in gangræna habeat alias euacuationes, præter scarificationem, & scalpelationem? Respondetur, quod habet, quia ex euacuationibus aliæ sunt sensiles, quæ fiunt ferro, aut suctu cum ventosis: aliæ verò sunt pharmaco factæ, quæ vel insensiliter educunt materiam per resoluentia. s. vel sensiliter id faciunt per concoctionem materiei, vt euacuationi aptior reddatur, ex quorum numero sunt etiam consumentes materiam, vt ignis, & pirrhotica.

Ad primum dicendum est, resolutionem minimè competere: quia ea fit à calore innato vincente, vt Gal. dixit de inæquali intemperie: hoc autem in casu calor innatus omnimodè victus succumbit, ergo resolutio superuacua. Deinde resolutio fit in tempore, & authore Paulo in 4. hic præsentissimæ requiruntur suppetiæ: quia si negligatur, in sphacelum abit. Ergo resolutio ad nihilum valet. Vltimo. Omne agens agit in sibi proportionatum in quantitate materiam, vt eam superare valeat; sed materia gangrænæ calori innato disproportionata est: quia gangræna magnas phlegmonas sequitur. Ergo immoderata quantitas, ergo frustrãmur à resoluentibus.

Maturatio quoque impossibilis est, vt habetur 4. primi cap. de cura apostematum in vniuersali ab Auicenna dicente, si quis eiusmodi maturatiuis remedijs vti voluerit, & membrũ tendat ad corruptionem, tunc ea; quæ vim habent opilatiuã, & glutinatiuam amouere debet, & vti aperitiuis: ergo nec maturatio euacuabit; sed maiorem putredinem inducet. Deinde agens agit propter finem, finis maturationis est materiei in pus versio, quæ fit à calore partim naturali, & partim alieno,

no. in gangrenæ materia solus est alienus calor, ergo à maturatiuis sola fiet putrefactio.

Quærendum est, numquid à ferro talis euacuatio fieri possit? Hunc spernit Auic. in capite de cura gangrænæ, dicens: Et cum apparet putrefactio non expellas eam cum incisione; quoniam eius magnificatur malum, quia ex dolore accursus nouus, & maior infarctus, à quo sphacelus expetatur.

Vtrum ne ignis, an pirrhotica competant? Hanc etiam viam irridet Auicenna, dicens, Et cum apparet putrefactio nõ expellas eam cum incisione, & consumptione. Nos autem per consumptionem intelligimus actionem ignis, & ignitorũ, quæ est consumere, quemadmodum incisionis est detrahere: crustificantia namque non tollunt; sed consumunt humorem carni insuccatum, quandoquidem si ignis quarta primi materias corruptas membro infixas resolui ab Auicenna dictum est, quanto magis pirrhotica id facere possunt. Item Auicenna ait, & cum inciditur membrum, quod putrefactum est, tunc oportet vt cauterizetur illud. Ergo in putrefacto .s. sphacelato competit incisio, & adustio, & non in putrescente: quia eius magnificatur malum.

Ad primum obiectum respondemus, resolutionem distinguendo in duplicem, ante scarificationem, in qua argumenta tenent, post scarificationem in qua argumenta nihil concludunt: quia excitatus à detracto onere per scarificationem calor calida admittit resoluentia, & attenuantia sanguinem illum, in quo casu 4. primi ea concedit, dicens, Et profunda scarificatione mox resolutiuis, & exiccatiuis vt liquescat infarcta materia, & absumatur.

Ad secundum maturatio duplex est ante vstionem, vel post eam exercita: si ante argumenta tenent: si post, nulla sunt, quia Gal. 2. ad Glauc. post vstionem maturantia concedit, vt pultes, & macedonicum.

Ad tertium dicimus, quod ignis, nec ignita re uera gangrænæ sunt remedia, quia eius magnificatur malum ex dolore attrahente de gangræna in sphacelum abiret: nam talia sunt sphaceli remedia.

Ad ferrum incidens dicimus, quod vel incidit, aut circumcidit: si incidit, i. scarificat, aut scalpelat, argumenta nihil valent,

lent, quia eius nõ magnificatur malum, in quo casu & Auic. & ceteri concedunt. At si circumcidit, vel excidit cum in totaliter emortuum id fiat, nihil valet circumcisio, & excisio in gangræna: quia est hæc cura sphaceli.

De cura multarum specierum gangrænæ. Cap. XXI.

TEMPVS iam instat, vt receptui canamus, & huic orationi finem imponamus, & hoc tribus capitibus fiet: quorum primum erit hoc, de cura multarum specierum gangrænæ: secundum erit de speciebus alexiteriorum: vltimum verò erit de antidotis.

Ad primum ergo accedentes illud cum primis haud ignorare licet, quod earum curatio est, vel potius affectibus, quàm causis: & de his iam antea scripsimus, vel potius causæ cum exiguo affectu attenditur; hoc autem hoc in capite tractabitur. Vocamus siquidem affectum, vel effectum ipsam gangrænam, & sphacelum. Causam autem intelligimus multiplices gangrænarum modos, à quibus gangrænæ illæ fiunt.

Huius rei initium cum Galeno sumentes 5. simpl. cap. 14. dicente, multis modis quid corrumpi potest, vtpote quia vel nimium calefactum, aut refrigeratum, vel humectatum, vel siccatum nimis, & vel, vt ait Auicenna 6. 4. corrodendo, putrefaciendo, opilando, vel à tota substantia corruptio fit. Ad primum corrodendo vt ex vlceribus ambulatiuis malis, cui Auicenna succurrit cum medicamento iam dicto ex flore æris.

Putrefaciendo, vt ex larga olei infusione in vulnere profundo succurritur cum puluere Mercurij præcipitati cum bolo armeno commixto.

Opilando interius ex humore viscido succurritur cum oxymelite succo apij commixto, si exterius aduenit, si ex ligatura, soluatur, fricetur vrticis tritis cum oxymelite circumdetur; si verò ex stipticis nimis opilatio fiat, apio, & raphano, & oximelite succurartur.

Si ex grumoso aneurismate folia cupresſi, apio, & oxymelite commixta curatur, vt aneurismati ex cupreſſo: per reliqua verò corruptioni resistatur; si verò talis opilatio sit ex ictu globuli ex sclopeto eiaculati ex calce, & melle medicamento consarcinato vtitur.

Si à tota substantia corruptio fit, vt à sagitta, vel ense, vel morsu venefico, emplaſtrum ex cæpa cocta cum theriaca commixta, vel cum sale Theriacali medetur. Author verò introductorij cap. vltimo ait, similiter adurimus eos, quos venenatæ feræ momorderunt ferramentis probè candentibus, passionem sistimus post ferramenta viridi porri succo cum sale illinimus: deinde vbi crustæ ruptæ fuerint tanquam vlcera curamus; sed Paulus vult post teli extractionem, vt carnem veneno affectam incidamus, aut scarificemus, aut cucurbitulas affigamus.

Ab intemperie calida, & humida, vt in magna phlegmone terra lemnia, & lutum armenum ex aceto solutis illinatur.

A calida, & sicca intemperie, vt in erisypelate, aut in indebita aquæ ardentis administratione sauich hordei cum succo hioscyami, & apij valet.

Ex siccitate, vt in Gangræna hecticorum, & in phlegmone sicca parietaria cum rapa, & oxymelite.

Ab intemperie frigida, & sicca vt in phlegmone nimium refrigerato, & siccato in initio curæ eius rapa cocta, & succo apij, & oxymelite commixta.

Ab intemperie frigida, & humida, vt in cruribus hydropicorum emplaſtrum ex gallis ariſtolochiæ, & oxymelite sale vsto, & scordo cum aceto commixtis vtitor.

De speciebus alexiteriorum. Cap. XXII.

NE nostra claudicet oratio, post venenorum species iam antea tractatas, par est, vt alexiteriorum species venenis iam dictis oppositas describamus, vt oppositum opposito destruatur, & sicuti in capite de speciebus venenorum existentē in gangrænis speciē veneni agnouimus; ita pariter in hoc capite alexiterij speciem veneni in gangrænis

nis speciem insitam oppositam inueniamus speciem, ad quod inuestigandum eundem seruabimus ordinem, quo in venenis tradendis vsi fuimus, a nomine exordientes, in definitionemque, & species progredientes, vsque dum nostrum proprium alexiterium inueniamus. Dicitur igitur alexiterium, quasi expellens venenosam feram: quia descendit à verbo alegome .i. expello, & therion .i. fera, s. venenata; vnde iure merito 5. simpl. 17. ait Gal. Alexiteria sanant venenosarum bestiarum ictum.

Dicitur alexipharmacum, i. repellens pharmacū, s. venenosum, vnde 5. simpl. 17. alexipharmaca sunt ea, quæ deleterijs medentur. descendit hoc nomen ab alegome. i. expello, & pharmacos, i. deleterium pharmacum.

Dicitur amuletum ab amolior, quasi dicas, auertens malū, i. qualitatem veneficam.

Dicitur antidotos ab anthy, i. contra dotos. i. datum q. contra venena datum. At Gal. de antidotis ait, Medicamenta quæ non extrinsecus corpori imponuntur; sed intra assumuntur, & affectibus auxiliantur, s. morbis, & non venenis, antidota à Medicis appellantur, in quo significato antidoti hoc nomen in casu nostro non respondet; sed vt iam diximus.

Dicitur medicina theriacalis. i. medicina contra venena, theriacę vim sapiens, cuius operatio ab Auicenna describitur in libro de viribus cordis. estque vt complexionem spiritus ab impressione veneni affectam reducat ad naturalitatem, & ab ipsa impressione præseruet complessionem cum sua proprietate theriacali, & hæc de nominibus dicta sufficiant.

Alexipharmacorum vis est alterare, vel euacuare à corpore patiente, vel venenum corrumpens, vel deleterium pharmacum 5. simpl. vt supra. Auic. vero sexta quarti medicinę contra venenum officium est veneni acuitatem frangere, vt cum lacte, vel butyro mulcto veneni substantiam resoluere cum lapide bezar, de quo in fine istius capitis sermonē habebimus. Exitum venenosæ substantiæ facere per terram sigillatam haustam; aut opponere veneno à qualitate ex potu allij in venenis frigidis; aut opponere veneno à tota substantia vt cum theriaca, & mithridato.

Rem autem aggredientes, dicimus, quòd alexiteriorum

materiæ eædem sunt, quemadmodum & venenorum materię fuerunt, s. ex animalibus, plantis, mineralibus, & lapidibus, vt animal animali, planta plantæ, mineralia mineralibus, & lapides lapidibus opponantur.

Species autem præcipuè tres narrantur à Gal. 1. de anthidotis, nonnulla siquidem medicamentorum lethalium gratia offeruntur, & hæc deleterijs opponuntur, & alexipharmaca nuncupantur: quædam verò virulentis feris opitulantur, & alexiteria dicuntur: aliæ verò vtrique respondent, vt theriaca, quæ tā deleterijs, quàm ictibus animaliū respondent. Possunt etiam addi eæ, quæ affectibus ex praua victus ratione ortis succurrunt; sed non veneficis, quæ antidota ex lib. de Antidotis appellantur. Alexiteriorum vis vel est à qualitate, i. à temperatura, vel ab actionibus sequentibus temperaturam, vel à tota substantia tantum, vel à temperatura, & actionibus sapientibus tantillum de tota substantia.

A qualitatibus igitur primis 6. vulgarium com. 6. com. 5. enumeratur allium in frigidis valde venenis, sicuti in minus frigidis vinum meracum: item acetum enumerat in calidis venenis bibitum; sal etiam describit maleficos, putridosque humores consumere.

Sicuti per quatuor qualitates venena descripsimus, ita per eundem quaternionem alexiteria describemus à qualitatibus primis exorsi. Opio igitur epoto succurrit ruta cum pipere in vino pota, hioscyamo mulsum vel meracum bibitum iuuat, cicutæ meracum cum pipere, & ruta valet; succo lactucæ hausto meracum antiquum, & copiosum bibitur; euphorbio assumpto butyrū, aut lac pingue, aut aqua granatorū hausta. Thapsię acetū bibitū succurrit, vel oua gallinarū in posca vel ptisana data.

Secundis qualitatibus sic opponimus lythargyro, plumbo hydrargyro vnica medicina succurrit, Paulus in 5. ex hyssopo, absinthio, & pipere in vino decoctis auropigmento aduersatur lac, vel maluæ decoctum cum passulis, & butyro, vel aqua mulsa cocta cum oryza.

Tertijs opponitur lepori marino hausto, & cantharidibus assumptis succurritur cū lactæ, vel mulso, vel passa; sed vt istorum virtus immediatè mēbro affecto reportetur pulmonaria cum sapa coquatur ad lepus marinum haustum sicuti saxifraga

fraga cum eodem in cantharidibus aſſumptis coqui debet.
Quartis reſpondebimus, morſui viperæ,aranei, & ſcorpij, quoniam ſunt à tota ſubſtantia, ita alexiterijs à tota ſubſtantia reſiſtendum eſt; ſed vt animalia animalibus reſiſtant,morſui viperæ, caro eius; ſcorpij, & aranei ictui venter eius,herbę thoræ, vt planta plantæ reſiſtat,herba anthitora vtenda. Lapidi rubeo venenoſo Auicennæ lapis bezoar detur, morſui canis rabidi iecur, vel ſanguis eius, vel oculi cancri bibiti.

Antidota à tota ſubſtantia alterando ſanant Mithridatũ. Atque id, quòd ex ſanguinibus à Galeno paratur,vel quod à Paulo lib.5.deſcribitur,vel Andromachi theriaca,vel ea,quæ de terra ſigillata confectura tum à Galeno de antidotis, tum ab Auicenna 6. 4.deſcribitur.

Euacuantia à totius ſubſtantiæ ſimilitudine corpus viperę, & ſcorpij,& aranei in morſu eorum,adeps crocodili in morſu eius. Ex interius verò aſſumptis, præcipuũ locum in euacuando retinet ſal theriacale: nam ex eo putris, veneficaque materia in ſudorem verſa per cutim reſudando euacuatur.

Euacuantia à calore tenui, ſunt cæpa, allium,ſcordium,trifolium bituminoſum,dictamnum cretenſe,emplaſtrum ex calce,& melle, vel ex cæpa cocta theriaca commixta.

Alterantia à tota ſubſtantia debent habere proportionem mediam inter corpus læſum, & venenum lædens.

Euacuantia à tota ſubſtantia debent eſſe media inter membrum læſum, & venenum lædens, vt veneno magis reſiſtant, quàm membro nocere valeant.

Alexiteriorum ea debet eſſe ſimilitudo ad venenum,qualis eſt magnetis ad ferrum, vt Auicenna dixit in libro de viribus cordis; etenim magnetis virtus actiua eſt ad ferrum,ſicuti ferri ad magnetem paſſiua. Igitur maximè actiua cum ſit alexiterij virtus ad membrum,ſicuti paſſiua membri ad alexiteriũ, per quam expellit venenum roborata paſſiua virtute à maximè actiua alexipharmaci.Nam ob eius maximam actiuitatem corpus ab ea non valet nutriri,& cum hoc non nocet; ſed roborat membrum, vt noxium expellat: Ergò alexiterium erit medium inter venenũ,& membrũ,aut corpus venenatũ,ſicuti teſtatur Auicen.de medicinis cordialibus,de terra ſigillata,dicens.Naturã enim inclinat,& cõfortat ad expellendũ venenũ.

Quorum

Quorum propinatio varia eſt, & vſus quoque varius: nam medicamen hoc, ait Galenus de theriaca ad Piſonem, meo cõſilio ſumes proba fruitus concoctione, nec cibis repletus. Menſura verò alias alia rectè vteris: interdum enim fabæ ægyptiæ magnitudinem cum duobus aquæ cyathis capies, vbi exiguũ ad concoctionem ipſius interuallum erit: interim verò auellanæ nucis magnitudine bibes tribus ciathis temperatum, cũ plus temporis ad medicamenti diſtributionem habiturus es.

Porrò inſpice & anni tempus, & regionẽ vbi medicamentũ aſſumes. Nam per æſtatem neutiquam id capere conſuluerim, quippe ſtatua æris calido etiam ex Antidoto corpus longè calidum euadens offenditur; quoniam hoc potiſſimum tempus febrem hominibus aduehit.

Quapropter ætate florẽtibus, & multo naturali calore pręditis, neque multum, neque ſæpe exhiberi medicamen eſt cõſilium. Quemadmodum ijs, qui iam declinant, & plurimum, & crebro non ex aqua; ſed vino magis aſſumi profuerit, vt corporis virtus iam emarceſcẽs genuinus calor extinctus refocillari, accendiq́ue ipſius poſſit beneficio.

At in pueris omninò medicamentum hoc vitandum eſt, quippe cuius magnitudo illorum virtute maior ſit, vt & corpus ex facili diſſoluat, natiuumq́ue ſpiritum citò extinguat, quemadmodum ſanè & lucernę flamma oleum igne copioſius adhibitum promptè extinguit.

Si quæratur, qualis alexiteriorum ſpecies in gangrænis cõpetat? Reſpondetur, quòd in gangræna, ſeu ſphacelo per affluxum anthidotorum magnorum ſpecies competunt, vt theriaca, & mithridatum, quia maximus eſt: morbus igitur maxima antidota ad idem valent, & ſal theriacale. Exhibitionis verò modus ſit iſtarum confecturarum, aut ſemidrachma, aut integra ad ſummum cum drach. 2. conſeruæ acetoſæ.

In gangræna verò permutando ſufficit antidotum de ſanguinibus, vel Pauli, vel de terra ſigillata ad drac. duarum menſuram, & amplius, vel cum conſerua, vel cum aqua acetoſæ.

Quoniam lapidis bezar ad venena fuganda qualiſcunque generis ea ſint, tanta eſt vis, vt non modo omnia alexiteria, aut alexipharmaca ſimplicia, authore Rhaze, ſuperet: verum etiam quæcunque theriacalia pharmaca vincat. Iurè igitur

meritò

meritò eius historiam literis describere cogimur, eiusq; nonnullas alias vires percunctantes.

Gratias ab horto Regis Indiæ Medicus satis insignis in lib. simpl. apud Indos nascentium, sic de lapide Bezar scriptum reliquit dicens. In Corasane Persiæ sunt hirci dazan à Persis appellati pergrandes, ac ruffus hircus; sed mediocris altitudinis, in cuius ventriculo secto erat lapis bezar dictus, circundatus à quadam tenuissima palea, semper augescens, & veluti multis tunicis contextus, in forma glandis, vt Columella ait, vel alia, & alià, leuis magna ex parte, colore veluti ex viridi nigricante; inueniũtur & parui; sed magni rariores sunt, qui à viris illustribus tanquam valentiores arripiuntur, ex quibus Lusitaniæ inuentus est vnus drach. v. qui sexaginta vngaricorum pretio venditus fuit, parui autem non similiter chari sunt.

Generantur etiam in Malache prope promontorium Comorin; sed hi Persicis nulli bonitate æquiparantur.

Discernuntur boni ab adulterinis secundum Mauros, cum eos manibus comprimunt; deinde spiritu inflant; nam si ex ipsis aliquis acu permeat, adulterinus est.

Serapion autem de Bezar cap. 396. ait, quod tanta est ei contra venena vis, vt omnes medicinæ contra venena inuentæ hoc nomine Bezar insigniantur, & eius facit quatuor species distinctas penes colorem dicens, alius est citrinus, alius puluerulentus, & manibari, alius subuiridis, alter verò albet.

Eligit autem meliorem ex ijs, & dicit, melior est citrinus, post ipsum puluerulentus, & his defertur ex Corafeni, & ibi nominant eum Bezar, i. contra omne genus veneni, & minera eius [illegible] locus suę generationis, in quo reperitur est in terris Syriæ, & Indiæ, & in terris orientis. At Cohori, & marina, qui assimilantur ei, ex quibus nullus errat. Errant autem in Chynulo, qui est lapis multę humiditatis, leuis, mollis ad tactum sine superfluitate, & sic de colore.

Gratias autem de Ethymo nominis ait, vocatur ab Arabibus, & Persis, & Corasenis Pazar Apazan, i. irco, corrupta autem voce à nobis, & ab Indis Bazar dicitur, quasi dicat forensis lapis: quia Bazar Indorum lingua forum significat, in quo iste lapis cum alijs venalibus rebus venditur.

Vires

Vires autem ipsius secundum Serapionem est resistere omnibus venenorum speciebus, cum eius grana duodecim bibuntur, aut aliquid de eo puluere super locum affectum, per sudorem educit venenum, & liberat homines à morte.

Gratias vero ait, venditur lapis Bezar Olysipone, sed alia forma; sed vt plurimum adulterinus est.

Qui sic agnoscitur, ducitur ab acu filum per herbam veneficam, quam Balestran vocant. Et eundem filum per pedem canis ducunt eo veneno madidum, & ibi filum linquitur, cumque veneni affligentis signa in cane apparuerint, & ad terram se strauerit, tum ex puluere in aqua proiecto cani potum datur, si liberatur à morte, verus Bezar est, sin minus, adulterinus est.

Ormuc, & Coraseni incolæ, & vtuntur vltra venena etiam in melancholicis affectibus, & post binam purgationem per quinque immediatè sequentes dies vtuntur ex eo granis 10. in vino, aut aqua: ex hoc enim corpori robur, & iuuenta acquiritur.

Valet in omnibus veneficis, pestiferis, & melancholicis, cutaneis etiam affectibus, vt lepra inueterata, & antiqua scabie ad Herpetas ex rosacea solutum, & illitum, & bibitum, & solus aspersus sanat, & singulis diebus scrup. 2. ex eo bibuntur.

De antidotis, & curatione prænominatis. *Cap. XXIII.*

ANTIDOTA quædam sunt, quæ internè dantur: quædam verò, quæ forinsecus applicantur. Ex internis verò præcipuum locum obtinet sal theriacale facilè parabile, & ad accipiendum delectabile descriptum à Galeno in libro de theriaca ad Pisonem.

Quod recipit trochiscorum de viperis ad pondus 4. viperarum, salis albissimi modius Italicus, pulueris gentianæ lib. 1. s. radicis aristolochiæ rotundæ tantundem, centaurij tenuis lib. 2. cardamomi, marrubij ana drach. 3. scordei, sellini, chame-

chamedryos, rutæ domesticæ ana lib. 1. si trochiscos confingere volumus exigua mellis quantitas cum pulueribus admiscēda est; si autem in electuarij formam redigere cupimus, vberiori melle vtemur, vt ea talis forma tum adueniat, tum conseruetur.

Secundum ex internis erat anthidotum Pauli libr. 5. quòd recipe radicum brioniæ, panacis, iridis, rorismarini, zinziberis ana vnc. 1. aristolochię drach. s. thuris, rutæ agriæ ana drac. 3. farinę erui drach. 2. fiant pastilli cum vino odorato, quorum dosis est obulorum trium ex vino odorato.

Tertium ex internis est theriaca de terra sigillata descripta à Galeno, cuius duæ sunt receptæ, quarum prima hæc est. Recipe baccarum iuniperi drac. 2. sigilli lemnij drach. 2. & oboli 2. ex oleo dulci fiant pastilli. Secundum receptum est Auicen. 6. quarti trac. 1. cap. 4. quòd recipe baccarum lauri, terræ sigillatæ ana drach. 2. iridis drach. 1. confice cum oleo. at nos eligimus fisticorum oleum; quoniam & ipsum anthidotum est.

Penultimum ex internis est Galeni in libro de anthidotis, quòd recip. foliorum rutæ num. 20. nucis iuglandis num. 2. salis pusillum, caricarum num. 2. vino aromatico excipiuntur.

Vltimum ex internis est medicamentum ex cantharidibus Auicennę sexta quarti tract. 4. cap. 9. Accipiuntur cantharides demptis alis, capite, & pedibus, & infunduntur in lacte per 24. horas, postea extrahantur, & siccentur: & iterum in nouo lacte infundantur, & siccentur, & sic quoque tertio fiat; postea puluerizentur, quarum accipiatur vnc. 1. cum tantundem farinæ lentium, & croci drach. 3. & scrup. 2. & ex passo fiat trochisci, quorum dosis est à scrup. 1. vsque ad drach. 1. cum aqua tepida.

Exterius applicanda sunt hæc, videlicet quatuor formæ trochiscorum, vltimum erit oleum nostrum de scorpionibus:

Primò est trochiscorum Andronij, quæ recipit citinorum drach. 10. gallæ vnc. 1. mirrhæ, radicis aristolochiæ rotundæ ana drach. 4. calchanti viridis, aluminis vsti ana drach. 2. calchanti lazuri tantundem, formentur trochisci cum passo.

Secūda est trochiscorum Polydæ, quæ recip. aluminis vsti drac. 3. thuris, myrrhæ ana drac. 4. calchanti drac. 2 citinorū

O drac. 12.

drac.12. aloes drac. 8. fellis taurini drac.6. vino auſtero formentur trochiſci.

Tertia eſt Pasſionis, quæ recip. arſenici, ſquamæ æris ſingulorum drac.2. calchanti drac. 1. auripigmenti drac.2. mirrhæ, thuris, gallæ ſingulorum drac.1. chartæ crematæ drac.4. paſſo excipiantur.

Quarta eſt Muſæ, quæ recip. aluminis vſti, aloes, myrrhæ, calchanti ſingulorum drac. 6. croci crocomagmatis ſingulorum drac.5. citinorum drac.4. ex mulſo fiat paſtilli.

Erat vltimum deſcribendum oleum noſtrum de ſcorpionibus, quod recip. olei antiquisſimi lib.6. fol.hiperici nunc primum è terra prodientium m. 6. ſcorpionum num. 120. infundantur per 24. horas, poſteà bulliant in diplomate dum herbæ flaueſcant,& colentur, & quod reſiduum eſt torculari prematur, & ſeruetur oleum dum flores prodeant ex quibus immittito m.6. cum ſcorpionibus 120. & fiat vt ſupra, & poſtea ſeruetur dum ſemina ſcaturiant, ex quibus imponantur m. 6. cum 120. ſcorpionibus, & fiat vt ſupra. Poſtea Soli exponatur per triduum, & coletur, & adde theriacæ & mithridati ana vnc.4. ſalis theriacalis vnc. 3. bulliant ſimiliter in diplomate parum, & vaſe vitreo reconde optimè obdurato.

Finis ad laudem Omnipotentis Dei, qui ſit benedictus in ſæcula.

DEVS

DEVS BENE COEPTA SECVNDET.

De quibusdam præsciendis ante operis ingressum. Cap. I.

SI laudare par est eos, qui explanarunt, quæ rectè à maioribus dicta sunt, tum verò eos summis laudibus efferre oportet, vt si quid ab eis omissum est suppleuerunt: non enim fieri potest, vt idem incipiat, perficiatque, vt dixit Galen. 2. de naturalibus facultatibus. Sed primò Aphoris. commen. 1. ait: Nam quæ priores multorum annorum spatio inuenerunt posteriores accipientes, atque his addentes rem complent, atque perficiunt. Etenim operæpretium est, vt ea quæ quisquam cognouit ea literis mandet, posteritatique tradat. Quare speramus artis chirurgicæ tyrunculos minimè labores hos nostros floccipenditituros: quia bene dicta à prioribus, sed obscura explanamus, & quæ varijs in locis apudque varios Authores tũ tractata, tum dispersa sunt, in locum vnum cogimus, &, quoad per nos fieri potuit, imperfecta perficimus. Labores hos non immeritò suscepimus: quia memores sumus, nos hic frustra conditos haudquaquam à natura fuisse Milesiorum ac Sibaritarum more, vt per forum, & vicos vagaremus, sed vt continuo labore pulcherrima, nobilissimaque naturæ dona, quibus ornati sumus in hac vita exerceamus. Etenim non temerè sapientes dixêre ad duo potissimum natos fuisse homines, s. vt & abdita, abstructaque naturæ misteria intelligant, subinde vt ea obeant munia, quæ posterorum memoria digna fuit. Vel vt Pythagoras Philoso-

phorum ſapientisſimus, dixit: A Dijs, duo nobis fuiſſe conceſſa, per quæ eis asſimilaremus, ſ. vt veritatem eloquamur, & vt mortalibus benigna faciamus, cuiuſmodi erit hos noſtrum de carcinomate commentarium, in quo veritatem de ipſo declaramus, & loquimur,& benignitatem noſtram mortalibus præſentibus, & futuris oſtendimus.

Carcinomatis cognitionem ex pluribus appellationibus aſſequens. Cap. II.

SCOPVS noſtri huius commentarij eſt carcinoma perfectius curare, quàm antea factum fuit, ſed teſte Oribaſio lib. 3. capit. 4 per curationem quis inſtituet, niſi morbum probè prius cognoſcat. Ergo morbi cognitio prius tractabitur, mox eius ſubſequetur cura: primum enim in intentione, vltimum eſt in executione. Cognoſcetur autem per nomina, per definitionem, per cauſas, per differentias, vltimò per prognoſtica. Curatur poſtea per inſtitutionē curæ a morbo, membro ſymptomate à cauſa deſumptę. Ad primum igitur cognitionis modum nominalem accedendo, dicimus, quod hæc vox cancer, quæ pro carcinomate vſurpatur, æquiuoca eſt. Ergo prius diuidenda. cōmodè autem id faciemus, ſi eam diuiſionis ſpeciem vſurpabimus, quæ vocem in ſua ſignificata diuidit. Cancer etenim tripliciter accipitur, primo pro ſydere cœleſti, ſic ab aſtronomis vocato: quoniam multarum Stellarum plexum, & vnionem retinet, cancrum animal in figuram imitantes. Secundò dicitur de marino, fluuiatilíque piſce. Tertiò accipitur pro morbo ſic vocato, figuram, & mores piſcis illius imitans, carcinomatis nomine inſignito. Cur ab appellationibus carcinomatis commentatio hæc noſtra initium ſumpſerit? An ne medicinæ chyrurgicæ Tyrunculi ob varias illius morbi appellationes, hæc quamuis vnica ſit affectio, plures ob id eſſe autument. Deinde quia 5. topicorum. omne inconſuetum obſcurum eſt, igitur ſi quando incauti tyrunculi incurrant in tam inconſuetas

huius morbi voces, eius cognoſcendi afferatur obſcuritas. Vel ea poteſt eſſe rei huius cauſa, quæ 5. Topicorum recitatur ab Ariſt. id obſcurum eſſe quod multipliciter dicitur. Multiplicitas igitur appellationum eius à nobis declarata tollet obſcuritatem. Vel ea poteſt eſſe rei huius cauſa, primo elenchorum depicta, nam qui nominum ſunt ignari, de facili paralogizantur, ideſt decipiuntur. Igitur ne in hũc errorem incurrant artis Tyrunculi, earũ declarationẽ ſubſtituemus. Cur variè maiores noſtri morbum hunc appellauere? An hoc ideo factum fuit, vt per ea varia nomina, varios, valdeque moleſtos morbi huius mores cognoſcantur: nam ea nihil aliud quàm id enunciant, quibus cognitis eo ſtudio ac diligentia curetur, quatenus huius morbi malitia promereretur. Ergo non immerito de nominibus agimus, quia 2. Methodi, inſpicienda eſt diligenter nominum diuerſitas, quæ ægritudinibus impoſuerunt ipſorũ primi Authores, quæ nonnunquam à ſimilitudine ad aliquid extra poſitum, vt cancer, à ſimilitudine illius animalis.

Vnum duntaxat prænotantes ante nominum declarationem, quod nominibus non tantum huiuſmodi morbus fuit contentus, ſed agnominibus quoque, vt plurium morborum mores inſequatur. Febris ſiquidem morbus eſt, & nomẽ eſt quartana, tertiana, quotidiana, continua, & cætera agnomina eius ſunt. Vlcus morbus eſt, & nomen eſt, cacoete verò & diſœpideton, deſperatio, diſterapepthom vlceris agnomina ſunt. Ergo non immeritò & hic morbus cum nomina tum verò agnomina habebit. Nomina eius erunt cancer communiter, & carcinus: propriè autem carcinodus & carcinoma. Agnomina ſunt cachoites, cõdiſomades, thimodes, fungodes, ſtrumodes vitiũ deterrimũ, morbus pnicioſus, inſanabilis, curatu difficillimus, diuturnus, indomitus, peſſimus, elephãtiaſis particularis, peior elephantiaſi, veneficus, efferatus, maleficus.

Nominum interpretationẽ aggredientes, dicimus carcinos grecè, latinè cancer, & carcinus dicitur, denominatio hæc deſumpta eſt à cancro animali ſic dicto, quæ cancri vox deſcendit à characiniſta, quod eſt caput mouere, quaſi dicas, aſſidue caput mouens. ita pariter morbus is aſſiduè inſurgens varijs, ac frequentibus cruciatibus languentem opprimit, vel a carcinoome, i. canceror, vel à καρ ζινοῦσϑαι, i. cacerari, quòd eſt

indu-

indurare apud Theophrastum de radicibus frumenti glaciei tempore solidati, & indurati, & cancerati. Dicitur etiã carcinodus, quæ vox dupliciter accipitur, primo de eo, qui à cãcro erosus est secũda de eo morbo, qui carcinomatis naturam, sed non omnem expendit, quale est vlcus cacoite à Celso depictum in cap. de carcinomate. Dicitur subinde carcinoma penult. producta, de qua voce meminit Cato de re rustica, inquiens, Si quid in mammis vlceris natũ est, & carcinoma brassicam tritam apponito, & sanum fiet. Dicitur carcinoma, & carcinodus, quasi deriuantes à carcino, i. cancro, quasi dicantur cancerositates vt Auer. voluit 7. collectaneorum dicens, cancerositates multoties euacuari debent, quia non sunt cancri animales, sed tumores, emulantes animal illud: non enim oportet vt deriuatiuum primitiui nomen possideat, vt voluit poeta, cum inquit, Pyrrhus Achilleides clarus imagine patris, dixit Achilleides & non Achilles, quia Pyrrhus est deriuatum ab Achille, à quibusdam sic exponitur. Ergo iure merito is morbus carcinodus & carcinoma vocabitur, & non cancer, quia simile non est idem, nec differet ab eodem. Dicitur carcinoma, quasi carcinu noxima, i. cancer morbus.

Quod autem simile sit, facile hoc probare possumus, quia sicuti animal illud corpus rotundum, & pedes hinc inde exporrectos habet; ita pariter is morbus tumori rotundo venas circumquaque exporrectas habet. Vnde Gale. 2. ad Glauc. cap. de cancro coactus fuit dicere in mãmillis sæpè vidisse tumorem forma, ac figura cancro animali cõsimilem: nam quẽadmodum in isto animali pedes ex vtraque parte sunt corporis, ita in hoc morbo venæ distenduntur, ac figuram omnino similem cancro animali representant.

Alia similitudo est in calore, sinet enim hoc animal sinet & hic morbus.

Assimilatur in substantia, durum namque & asperum hoc animal est, durus & asper hic morbus est.

Assimilatur gressu retrogrado: nam hoc animal retro incedit, is verò morbus cum quasi sanitatem adeptus fuerit, retro cedit, & iterato insurgit, & sanitatem adeptam in ruinam deducit.

Altera similitudo est in tardo eius agressu; diutius etenim durat:

durat: quamuis creberrimè infestet morbus iste.

Alia similitudo est in tenacitate adhærescendi: nam cancer, & carcinoma descendunt à carcinoo verbo græco, i. adhæreo; eo quod tenacissimæ hæreat. Vnde Aetius lib. 16. inquit, quod chelis, i. cancer semel corripit tenacissime retinet; ita pariter, vt vix ferro, & igne possit auelli.

Altera similitudo est in moribus: nam sicuti cancer tangentes morsu valide, ac rabide ferit, sic is morbus à manuum medicamentarum contacta vt crebro creberrimè irritatur.

Celsus 5. lib. cap. de carcinomate, quatuor species eius nominibus distinctas facit, quarũ prima est sine vlcere ab Hipp. occulta appellata, à Celso verò carcinomatis nomine insignita, de qua hucusque actum fuit, quæ cum vlceratur, vel fungo vel chimo assimilatur, & fungodes, & chimium dicitur, & carcinomati assimilatur & non est, & dicitur cachoite, quæ inter agnomina adscribuntur.

Tempus requirit, vt postquàm de nominibus satis egimus, ad agnomina declaranda nostra hæc se vertat oratio. Prius tyrunculos aduertentes, quòd vbicunque Celsus cancrum dixit, sphacelum intellexit, & vbicunque de carcinomate meminit cancrum à græcis sic appellatam intelligit. Reliquum prænotandum est, quod agnomina, vel à moribus, vel à similitudine nomenclaturam trahunt.

A moribus dicitur cachoites, i. malignum; vere quidem malignum est: quia curam omnem despicit; malignitatis autem causa est ipse humor malignus, qui membri naturam immutauit, vt quamuis bonus ei succus afferatur, tamen eum corrumpat, erat siquidem antea discæpulotom, nunc autem discepuloton cachoite est.

Discepulotom autem, appellant ex Gale. sententia 1. & 4. cathageni, quando vlcus est in aliquo membro cuius consolidatio impeditur per affluxum humorum multorum aut acriũ, non vitiata loci temperatura illud vlcus discepulotom, i. difficulter cicatricem admittens à græcis dicitur. At quando loci vlcerati complexio est ita corrupta, vt humor influens licet sit bonus, tamen corrumpitur, illud vlcus malignum latinè, grecè cachoite appellatur. Potest etiam stare vlcus κακοήτη, quod sanabile est citra cancrum, quod insanabile est:

quamuis

quamuis vlcera illa ſimilitudinem quandam intra ſe retineāt, differunt autem, authore Celſo; quia cancroſum vlcus inſanabile, cacoite verò ſanabile eſt, & dirimit vnum à reliquo experimento, non igne & acribus & pyroticis cacoite placatur, canceroſum irritatur.

Dicitur vlcus diuturnum, quia multum temporis tractum ducit antequam ſanetur: & hoc ideo, quia vel à medicamentis acribus irritatur, vel à nimium molliuſculis malè tractatur, vel vt 4. Methodi habetur, ſignum vitioſi ſucci eſt ipſa vlceris diuturnitas.

Dicitur diſterapephton, ideſt ulcus nullam ſeruans methodum: quia aliquando medicamentis cedit, aliquando ferro & igne, interdum uerò ab eis irritatur, & in nouam ruinam malum deducit.

Dicitur ab Actuario lib.4.ſui Methodi cap.16. Vitium deterrimum, & rationem huius affert: quia neque purgantibus, neque foris impoſitis medicamentis facilè cedit.

Dicitur à Celſo potiſſimum: quia à curatione irritatur.

Dicitur ab Oribaſio 7.ſinopſeos cap.13. morbus inſanabilis: quia propter humoris craſſitiem nec repelli, nec diſcuti poteſt, namque purgantibus cedit, uel quia, ut Actuario placuit 2. ſui Methodi cap.7. malum hoc ob ſui uehementiam inſanabile eſſe uidetur.

Dicitur ab Actuario 6. ſui Methodi 16. longè omnium curatu difficillimus morbus: & ideo quia curam ſpernit curatiuam, unde lenitiuam ibi utitur.

Dicitur indomitus ab Areteo lib.2. de ſignis, & muſis diuturnorum morborum cap.11. cum ait: Cancer neutiquam ulcus eſt, ſed tumor durus & indomitus, quia diuturnus & pernitioſus eſt. Quare ex his verbis habemus, quòd id, quod propriè cancer eſt, tumor durus eſt, & id quod vlceratum eſt: canceroſum vlcus eſt, & non cancer: quia quamdiu tumor eſt, tamdiu ſeruatur integra forma cancri animalis, à qua nomenclaturam aſſumpſit. At cum vlceratur medietas formæ cancri deſtruitur, ſ. corpus durum, & liuens lateribus integris manentibus, à quibus ſeruatur aliqua ſimilitudo non circunferentiæ tumoris, ſ. reliquiæ eius, & venarum ad inſtar pedes cancri, vnde canceroſum vlcus appellatur.

Dici-

Dicitur vlcus desperatum; quoniam plerique eius curam aggressi, eam non absoluerunt, sed tanquam ab insanabilibus destitere, 4. Cathageni cap. 6.

Dicitur ab Auicen. peius elephantiasi, tract. de lepra cap. 1. quoniam materia lepræ Arabum, id est elephantiasis Græcorum, sparsa est per vniuersum corpus: Ergò imbecillior. carcinomatis verò materia vnito tantum concluditur membro: Ergò fortior. Item lepra à fortibus topicis sustinetur. Carcinoma verò ab ipsis irritatur.

Dicitur ab Aetio 16. lib. cap. 14. Maleficum ac efferatū malum: maleficum à maleficis, efferatum à feris: Ergò maleficū, & ferum à feris maleficis, quibus assimilatur tum in moribus, tum in venenositate.

Dicitur denique à Paulo lib. 4. cap. 1. elephantiasis particularis. Si enim cancer veluti elephantiasis quædam vni contenta particulæ inter morbos insatiabiles, vel ab ipso Hipp. relatus est, quātò magis elephantia ceu totius corporis cancer aliquis ab omni abhorrebit remedio, quia. s. ambo ab atra bile humore malefico proficiscuntur, authore Gale. in lib. de symp. causis dicente, neque vllum est excrementum, quod nō sequatur proprias symptomatum species, nam atra bilis in toto diffusa elephantem, in parte verò adstricta cancrum producit.

A similitudine dicitur vlcus eximiū vel eximodes, eò quòd referat inæqualitatem & aspredinem, & crebras carnium extuberationes cum liuore ad instar corimborum exymi herbæ montanæ florescentium.

Dicitur fungodes, quia interdum basim strictam, & summitatem latam in fungi similitudinem retinet, quemadmodū nos vidimus, cum olim præceptore nostro Ioanne Antonio Plato Leonico Chirurgo nec seculis transactis ante ipsum, neque futuris post ipsum illustriori, cum essemus ambo in cura nobilissimi semis habentis in homoplata dextra cancrum magnitudinem magni fundi implentem.

Dicitur strumodes: quia vel eis superuenit, vel eius formam induit locum ipsarum obtinens.

De cognitione carcinomatis per definitionem signa eius declarans. Cap. III.

EST ſane hoc in opere intentio noſtra, vt diximus, primitus carcinoma agnoſcere, agnitumq́ue ſubinde curare. Igitur poſt nominalem notionem extimam, ex quo vehimur ad intimam per definitionem aſſequendam deuenimus per quam 9. de Placitis Hippocrat. & Platon. rei, de qua diſputamus ſubſtantiam cognoſcimus: nam 2. Poſteriorum, definitio eſt cognitio ſubſtantiæ, & ipſius quod quid eſt: quia 2. de differentijs pulſuum definitio eſt rei, & non nominis: Ergò realis & eſſentialis dicitur.

At cum cancer æquiuocum nomen ſit, & æquiuoca iuxta regulam Logicorum prius diſtinguenda, mox definienda veniunt. Dico igitur, quòd hoc nomen cancer prædicatur, vt dixi, de ſydere cœleſti habente talem formam, & temperaturam calidam & ſiccam: deinde prædicatur de cancro animali aquatico, quorum duplex eſt ratio: nam fluuiatilis in forma tãtum & non in facultate ſimilis eſt: ſydus nanque cœleſte, & cancer marinus, & ſimiles ſunt in figura, & in facultate: nam ambo calent & ſiccant. Denique prædicatur de morbo habente formam, & figuram cancri animalis, & mores, & tẽperaturam calidam & ſiccam, cuius duplex eſt ratio: nã cancer, ſeu carcinoma duplex cum ſit, tumor. ſ. & vlcus. Tumor proprio genere, & proprijs differentijs diffinietur: vlcus vero proprio genere, & differentijs quoque definietur: nam ambo vnico genere, & differentijs vnicis non poſſunt definiri: genus etenim abſconditi eſt tumor præter naturam, ſicuti genus, qui aperti & ſoluta vnitas fæda pariter, & differentiæ ſub illis generibus comprehenſæ erunt diuerſæ, vt infra patebit: ergò duplici definitione, & non vnica vtemur breuitati ſtudentes quoad per nos fieri poterit, nam authore Tullio 1. de officijs, definitio eſt breuis quædam, & circũſcripta elocutio, 9. de Plac. Hippo. & Platonis, rei de qua diſputatur opus eſt in primis habere ſubſtantiam cognitam, & 2. Poſteriorum definitio

nitio est cognitio substantiæ. Igitur carcinoma absconditus, idest non vlceratus, est tumor præter naturam atrabilarius, rotundus liuens, durus, inæqualis, asper, malignus, dolens, mēbra laxa corripiens venis: hinc inde tanquam pedibus cancri animalis alligatus.

Carcinoma verò apertum, idest vlceratum est soluta vnitas fæda ab atra bile putrefacta, profecta cum labijs condilomatoris carne chimosa fętore, dolore, errosione, sanguinis fluxu patientes, denique interimens.

Opponet autem quis definitionibus his nostris, cum, vt diximus, definitio sit breuis elocutio, quam breuiloquentiam hoc ex loco apprime seruasse videtur Areteus lib.2. de signis, & causis diuturnorum morborum cap.11. dicens: Cancer tumor est durus, ac indomitus, exemplo hoc moti dicere possunt, definitiones has nostras, tanquam ista Aretei prolixiores, & valdè vanas esse. Ad hoc respondendum esse putamus, salua semper reuerentia tanti Viri, illam Aretei esse vanam: quia non facit differre definitum à quocunque alio, & competit alteri à definito. Quod non differat ab alio, non posuit materiam ex qua constet, per quā dissideat ab omnibus alijs per accidentia, vt supra cit. Ergò vana. Competit autē alteri à definito: quia competit scyrrho exquisito: nam scyrrhus exquisitus tumor est durus, & indomitus. durus: quia ex humore crasso, & sicco fit, & non cedit tactui. Indomitus: quia curationi non cedit. Ergo cancer esset scyrrhus, & è cōtra. Hoc autem est falsum: Ergò id quod sequitur. Item vana est secundum Commentatorem 1. de anima: quia omnis definitio per quam non cognoscuntur accidentia propria subiectorum, non dicitur definitio nisi æquiuocè. At illa Aretei non demonstrat accidentia subiecti cancri, vt nostræ faciunt: Ergò vana. Mores enim per accidentia declarantur, & cognoscuntur. Siquidem accidentia multum faciunt ad cognoscēdum quod quid est. Ergò nostræ meliores: quamuis prolixiores sint. Exemplum enim habemus à Galeno in libro 1. de sectis de inflammatione dicentis. Inflammatio tumor est præter naturam dolorificus, renitens tactui; durus, & calidus partem nec duriorem, nec rariorem, vel densiorē reddens, sed humore, s. sanguineo repletā, ac eo intensiorē reddens. Item 13.

Methodi ait Galenus, phlegmon est tumor præter naturā sanguineus, igneus, ruber, dolens, tendens, tactui renitens, ac pulsans. Prolixior fuit & Galenus in his definitionibus: quia accidentia propria huius subiecti demonstrauit, quod Areteus non fecit: ergò is breuis & insufficiens, ille verò longus, & completus; sed quamuis ista definitio Aretei sit insufficiēs, tamen pro notionali potest vsurpari.

His prænarratis ad examen primæ definitionis veniemus dicentes, quòd omnis definitio constat ex genere, ex differentijs: genus primæ erit tumor præter naturam, genus verò secundæ, erit soluta vnitas fæda, reliquæ partes definitionis sunt differentiæ. Deinde Porphyrius cap. de differentia dixit: in definitione genus esse tanquam materiam, differentias verò tanquam formam.

Dicebamus igitur carcinoma occultum esse tumorē prçter naturam tanquam vnum ex tribus generalibus morbis in cōpositione inepta existentem, quæ est membri magnitudo acuta in longum, latum, & profundum naturalem statum excedens cum actionum vitio: Ergò tumor est præter naturam, s. morbosus. Et tum consistat in compositione nullatenus erit in mala intemperie tantum, vt febris, & ideo dissidet ab ea, nec in soluta vnitate tantum stat, vt vulnus: Ergò dissidet ab eo. Item præter naturam tum & ad differentiam tumoris à pinguedine, & facti citra præter naturalitatem omnino existentis, & ad differentiam tumoris statuti à natura cuilibet membro, vt clunibus, & capite, &c.

Atrabilarius dictus est hic tumor: quia augmentum illud non est ab vllo alio humore factus, præterquam ab atra bile, vt dicetur in cap. de causis: esset enim alter tumor quàm cancer.

Dictus est atrabilarius ad differentiam tumoris à fusione substantiæ facti ex libro de tumoribus præter naturam: quia membrum illud maiori caliditate possessum à frigidis applicitis statim detumesceret: Ergò ab alia extrinsecus acquisita substantia factus est tumor ille, cuiusmodi est atra bilis, per quam differt à phlegmone ab erisypelate, herpete, çdemate, & scyrrho, abscessu & emphiscemate, & reliquis huiusmodi ex atra bile minimè factis.

Durus

Durus ad differentiam tumorum tensorum vel molliũ: tensi enim sunt phlegmones, emphiscemata, erisypelata; molles sunt ędematosi: duritiei autem causa est materiei crassities & siccitas, quia afflatione humiditate orbatur.

Liuidus ad differentiam cæterorum tumorum rubescentiũ, vt phlegmon, & phlegmonosi tumores. Citrinizantium, vt erisypelas, & erisypelatosi tumores. Albescentium, vt ędema, & ędematosi tumores. Liuoris autem causa est mixtio ex nigro, & rubro, 14. Methodi: Sanguis enim ruber est, qui humore atro commixtus, aut adustus liuentem colorem induit, adusta etenim nigricant.

Asper ad differentiam cæterorum tumorum, qui asperi nõ sunt, sed lenes quamuis duri, aut laxi, aut tensi sint, vt omne & reliquum tumorum est. Aspredinis autem causa est humoris priuatio ex adustione facta: nam humore præsente lenitas inhæreret, quo sublato ingens effectus & humor, vt carbonibus, corporibusque alijs exustis hoc effici consuetũ est, quia siccitas aspera est: Alia aspredinis causa ab Aristot. recitatur in lib. *6.* principiorum dicente, asperum id esse, cuius vna pars alteri superminet, in hoc autem morbo est ista supereminentia: Ergò & aspredo.

Inæquale ad differentiam scyrrhi, cuius tumor quamuis durus, tamen æqualis est, & ad differentiam cæterorum tumorũ æqualium. Inæquales verò sunt strumæ ob glandularum multiplicem nodositatem, & duræ sunt. Non tamen ex materia atrabilaria, neque ex modo fluendi ipsius, sed ex glandulis inæqualibus illa inæqualitas procedit. Inæqualitas verò in cancro ex materiei afflatæ siccitate procedit. Cœnum enim à Sole affatum inæqualem esse concernimus. Inæquale etiã est ratione loci ademnosi inæqualis ab eo possesi. Inæqualitatis etiam ea ratio esse potest interpolatus & distans affluxus atri humoris: nam si vniuersim, & continuo affluxus fuisset atræ bilis, se mutuò contangerent partes humoris, & inæqualitatem non facerent. Faciunt eam, ergo interpolatus & loco distinctus est affluxus. Alia ratio inæqualitatis est humoris atri substantia diuersa: nam tenuis locum vnum possidet separatum à crassa, atque distans, & minus tumentem generat, & sic inæqualis tumor fit.

Mali-

Malignum vstorum namque,& præsertim suffocatæ est venenositati induere, vt carbonibus quæ terra obrutis suffocatæ igne adurendo fiunt, & carnibus assatis, ita verò rebus adustis aduenit aliquo alio ingenio valde suffocante citra transpiratum vllum. Tales etenim carnes ab Auic.6.4.inter venena per accidens adscribuntur. Item 5.Collectan.ab Auerroe cap.de carne tyri dicitur, quòd ea caro valet ad lepram: quia expellit venenositatē eius ad cutim, sed cancer est lepra particularis per Paul. in 4.cap. Ergò erit venenosum, vt lepra vniuersalis, cui sententiæ stipulatur Aetius 14.& 16.lib.cum dixit, Danda sunt ea, quæ venenosis feris aduersantur. sed quid clarius haberi potest quàm Galeni sententia, in lib.de constitutione artis, dicentis, Perniciosissimus succus est atra bilis; cum alijs præualuerit, vtpote, quæ præ cæteris,& erodat,& maligna admodum sit.

Malignitatem, vel venenositatem habet in se, sicuti venenum corrosiuum, vt lepus Marinus,& cantharides, ex quibus, pulmo, & vesica eroditur: nam Gale. in lib. de constitutione artis, atra bilis præ cęteris erodit, & maligna est, & ideo citò facit vlcus.

Venenum habet corrosiuum, sicuti lepus marinum habet, à quo corroduntur pulmones, ita & hic morbus semper corrodit, & cauat, vt Aetio placuit: deinde habet venenum putrefactiuum; quoniam fætore intolerabili non caret.

Membris raris, laxisque adueniens, causam huius rei aperit, Actuarius 2. sui Meth.cap.12. dicens. Membra laxæ substantiæ materiam hanc crassissimam facillimè sunt excipientia; quòd autem hæc membra corripiat, Celsus in lib.5.dicit, Quòd occupat imas aures, labia, oculos, fęminarumque mãmas, splen, & iecur; Aetius autem lib.16.dicit: Corripit mēbra, in quibus glandulę,& laxæ carnes sunt, vt collum, axillæ, inguina, vterus: hæc enim quia porrositates raras, laxasque habent, crassissimam carcinomatis materiam commodè recipiunt.

Venis hinc inde alligatis. Alligatur autem tumor ille durus cum circunstanti membro, venis hinc inde dispersis, à quibus tum alligationem cum tumore, tum tumoris ortum, & augmentum recipit: quæ si ex superficialibus sint, in conspi-

cuo omnibus apparent; si verò imam membri petunt, delitescunt: vnde Celsus ait, Circa eum inflatæ venæ, quasi recuruantur, in quibusdam verò delitescunt, s. ob iam dictam à nobis causam. Apparentiæ verò earum alia causa recitatur à Gal. 14. Metho. dicens. Renixus autem ijs quoque tumoribus valens est, & venas habet euidentiores per membrũ exaltatas, easque à crasso, & nigro quodammodo sanguine plenas Sed in lib. de tumoribus præter naturam, complet id, quod hoc ex loco de venarum apparentia, & turgiditate deest, dicens. Venas etiam magis, quàm in inflammationibus in tumorem attollit, quippe humor cancrum generans, minus ob eius crassitiẽ ex vasis incircumpositam carnem excidit: ergò pars humoris illius, s. tenuior ex venis excidens, cancrum facit: cætera verò pars crassior in venis adstricta, & non effluxa turgentas, atque conspicuas, atro humore plenas afficit venas: quæ in eam oris animalis morem per pedibus subseruient, quæ tumori duro, & rotundo continuæ chercinni figuram immitari faciunt. De non conspicuis verò Aetius lib. 14. cap. 58. ait. Quoniam à profundo inutilis cruoris multitudo attrahitur: ideo venæ in eo varicosæ redduntur.

Secundæ diffinitionis examen aggredimur, cuius particula prima erat, quod charcinoma apertum, est soluta vnitas fæda: cui sententiæ adstipulari videtur Rasis ad Almansorem tractatu 7. cap. 9. dicens. Vlcus autem quod in cancro fit, est fædum. Hoc autem à nobis dictum fuit, ad differentiam occulti cancri, quod erat tumor præter naturam: per hoc enim differt ab omnibus alijs apostematibus: quia non sunt in genere solutæ vnitatis, sed malæ compositionis. Per illud verò fęda, à vulneribus quæ diffiniuntur per solutam vnitatẽ cruentam, & non fædam, & ad differentiam febris, quæ diffinitur per intemperiem calidam: & ad differentiam morborum in compositione tantum, vt in situ, lenitate, & asperitate, & numero, &c. Fæda dicitur vel visu: quia horribilis est ad videndum propter ea, quæ deinceps dicentur: vel fæda, idest fædans vlcus sanie, ad differentiam vulneris, quæ fædat vulnus cruore.

Solutæ vnitatis, causa est humoris acredo, & erosio, sicuti diximus in libro de atra bile, quia præ cæteris erodit cutim,

& carnis facit iacturam. Fæda autem est ex sanie, ex erosa carne facta, quæ fædum, etiam immundum vlcus, vel vt rectius loquar, immundam vlceris carnem facit.

Ex atra bile putrefacta, ad differentiam charcinomatis occulti, cuius atra bilis putrefacta non est: & ad differentiam aliorum vlcerum, ex alia cacochimia, quam ex atra bile ista factorum, de quorum cacochimia Galenus meminit in libro de tumoribus præter naturam, dicens. Vel bilioso quodam, vel melancholico, vel aliquo alio eruginoso, prauoque succo cõstant. Putrescit autem is humor, 14. Methodi spatio temporis, propterea quòd in vasis sit impactus, & adstrictus, nec difflatum habeat: Ergò putrescit, & ex putredinis accredine, fit vlcus.

Alia putrefactionis causa recitatur à Galeno in libro de atra bile, dicente. Bilis atræ crassities cum illi firmam sedem exhibeat corrosionis fit causa: nam 14. Method. ait Galenus. Quippe id vlcerum, quæ ex mordente humore oriuntur, quæ nimirum spontanea vocant, commune est, quòd humor, qui ea facit sistitur, ac tardat, & corrumpitur quò quæ profundiora vlcera fuerint, eò crassior humor est.

Cum labijs condilomatosis, ad differentiam vlceris ostracosi, siue calosi, siue chironi celsi, quod quamuis habeat labia calosa, non tamen tuberositates condilomatosę in eis, sicuti in hoc charcinomate visuntur.

Fiunt autem condilomatosa, quia omne deriuatiuum sui primitiui effigiem seruat: igitur cum apertum ex occulto deriuetur, & occultum inæquale erat, atque nodosum, de necessitate, cum ad vlcus deuenit nodositates eas seruat: quæ nodositates vlceratæ, temporis tractu, & medicaminum siccantium, frigidorumque appositione, & aeris circumflui frigiditate, siccitateque occalescunt: & vt dixit Rasis, crassescunt, & foris conuertuntur, & sic condilomatosa fiunt.

Carne thimosa, color siquidem carnis humorem in ea imbibitum indicat, præsertim cum humor is superficiem inhabitet: igitur cum subnigricat subrubeatque caro in florum thimi similitudinem, & inęqualitatem hēat, ab atrabilario succo, nęquali erodi par est. 4. de tuenda sanitate. Color à succo prouenit; nam a solidis animalis partibus, vtique cum se succi in

ci in altũ non receperunt, ſi neque ex ambientis violentia, neque vllus animi affectus ſubſit, vt ira triſtitia, metus, & verecundia: neque aliquid cuti violenter irruat, tunc certisſima ſucci animalis cognitio ex colore prouenit.

Atrabilariam igitur carnem denotat liuens, ſubruborve color in florum thimi ſimilitudinem. Inæqualitas autem aduenit: quia caro hinc inde eroſa, modò ſuperficiem, modo profundũ inuehens, corimborum thimi inequalitatẽ repræſentat, Hinc verò fit, vt meritò Celſus hoc vlcus thimiũ appellauerit.

Fętore, ſ. magno tentatur, ad differentiã aliorum vlcerum, vel parum, vel omnino nihil fętentium. Hoc autem vlcus in fętore, gangrænam, & ſphacelum imitatur, vt cuipiam ingredienti patientis thalamum facilè patebit: quem animaduertens Aetius 16. lib. dixit. Emittit ſaniem copia, & odore abhominandam: & capadox Aretheus fętorem illi vlcerato magnum ineſſe deſcripſit.

Cauſa huius fętoris eſt putredo: nam calor putredinalis calorem innatũ obruens, malum illum odorem efficit: vt faciliter cerni poteſt in carnibus, & aquis ſtagnantibus putreſcentibus: confirmat hoc 14 ſimplicium Galenus, cum dicit. Putreſcentibus eſt eſſe cum fętore.

Eroſione, ad differentiã vlcerum minimè erodentium: & ad differentiam ſui ipſius non vlcerati: hoc autem aduenit ex materiæ putridæ accredine, ex qua fit eroſio: vnde Aetius 16. lib. coactus fuit dicere, ſi exulceretur iugiter erodit, & profundum ſuffodit, nec ſiſti poteſt. ſ. quia atra bilis putrefactæ hoc proprium eſt: quæ enim crasſior, & calidior materia putrefacta fuerit, eo erodentior fit.

Venenoſitate, hoc autem dixit ad differentiam aliorum vlcerum venenoſorum minimè. Venenoſitatis autem ſignum eſt, quòd in omni medicamentorũ impoſitione quieſcit, mox ab eis non ſuperata, irritatur atque inſurgit, omnemque medelam ſpernit; hoc autem proſpiciens Aetius loco citato, dixit. Saniem emittit, quocunque ferarum veneno nequiorem, quã omnibus ſuis viribus conatur demulcere cum theriaca ex roſaceo diluta: & tandem theriacam ex lacte diſſolutam bibendam tradit.

Venenoſitatis autem cauſa, eſt humoris malitia, aſſatione,

Q & pu-

& putrefactione præuenta.

Dolore, ad differentiam vlcerum quietorum. Doloris autem causa est materiæ assæ, & putridæ accredo, quæ cum continuè erodat, dolorem corrosiuam excitat. Pars verò fuliginosa, & vaporosa illius materiei latiùs expanditur, & pungitiuos etiã dolores ex eorum subtilitate, & accredine excitantur. De quibus Aetius vt supra meminit, dicens pungentes dolores, ac latè diffusos infert, vt sæpe consensus ratione bubones malefici in axillis, & inguinibus excitentur ad spatulas, & clauem attingentes; nam venæ, quæ ad mamillas deducuntur, cum talibus locis consortium habent, & simul colligantur.

Sanguinis fluxu, Venę ab acri humore superstite eroduntur, & putrescunt, vnde patet exitus sanguinis ex eis, ex quo misera vita fit.

Iisdem membris aduenienS. Nam quo loci primitiuum erat, eo loci & deriuatiuum esse oportet: erat etenim occultum, nunc apertum eisdem in locis extat.

Mors præmatura fit ex assiduis doloribus continuo fętore, sanguinis interpolato fluxu; quæ omnia interitum festinum enunciant, & mortem præmaturam.

Hæc sunt, quæ per diffinitionibus essentialibus, & per simiotica cognitione charcinomatis inuenire potui.

De cognitione charcinomatis per suas causas. Cap. IIII.

ARISTOTELES in lib. de causis ait, vnumquodque non cognoscitur nec narratur nisi per suam causam, ergo vt cognoscatur charcinoma, iure merito hoc caput de causis eius tractandum aggredimur. Cognoscitur autem eclipsis per suam causam, quæ est interpositio terræ inter Solem, & Lunam. Narratur quoque eclipsis per eandem causam, quoniã dicimus eclipsim esse interpositionem inter Solem, & Lunam. Deinde ait Arist. eodem lib. quod causa & causatum per inuicem demonstratur; vt si lux est, ergo dies

go dies est: & si dies est, ergo lux est: causarum igitur tractatio apprimè necessaria esse videtur, siquidem primo Rhetoricorum Aristoteles ait, sine causa impossibile est aliquid fieri; & 2. lib. eiusdem. Nihil est sine causa. Plato etiam in 2. parte Thimei textu 2. ait. quicquid gignitur ab aliqua causa necessario gigni asserimus. Item ea sola causa est, quæ ad rei generationem conducit, alioquin eius causa non dicitur, vt dixit Galenus in lib. de causis prochatarcticis. Obijceret aliquis ex 2. Posteriorum quod cum causa prior sit eo, cuius est causa, sed à nobis causatum prius positum fuit in antescripto capite: ergo causatum secundum nos erit prius causa, quod etiam non modo contra Aristotelem est, vt diximus; sed contra Medicos, Gale. authore 2. Methodi dicente, propria illa sunt, quod morbus actioni incommodat; sinthoma hunc sequitur, causa verò præcedit, ergo malè causatum ante causam descripsimus.

Respondetur, quod in causando causa prior est causato. In cognoscendo autem posterior: etenim hic de charcinomatis cognitione agitur, & non de eius creatione; ergò bene. Huic nostræ sententiæ adstipulatur dictum Senecæ in lib. de formula vitæ, cap. de prudentia, cum dixit. Cuiusque facti causam inquire: & Poeta. Fęlix qui potuit rerum, s. factarum, cognoscere causas. Vnde philosophi, de reb. in mundo factis admirantes, cęperunt illarum inquirere causas: ergo rectè post cognitionem charcinomatis, per diffinitionem, vt adhuc melius cognoscatur eius hoc in cap. causas tractabimus incipientes à causarum numero.

De numero causarum.

Quotuplex charcinomatis est causa? Respondetur, q̄ ea est triplex: interna. s. quæ duplex est, s. antecedens, & coniuncta: & externa, quæ simplex est, ergo sunt tres.

Cur dicitur interna? quia inter nos generatur, vt atrę bilis copia charcinomatis fiendi causa est: tum interna, tum antecedens dicitur; vnde Galenus 1. Methodi dixit. Eas quidem, quæ in corpore animalis consistunt, internas, seu antecedentes appellantur.

Dicitur antecedens, ab antecedendo: quia morbum ante-

cedit: nam nisi antea ea fuisset, s. atrabilarius humor in corpore congestus, & postmodum affluxus, morbus hic haudquaquam fieret.

Dicitur causa cõiuncta: quia simul & causa, & morbus sunt: nam dũ in loco affixa est, coniuncta dicitur cum membro, ex qua immediatè fit morbus, at dum oberrat, & in fluxu est, causa morbi huius antecedens dicitur: ergo eadem atra bilis erit causa antecedens dum oberrat, & coniuncta dum infarcta in membro existit.

Dicitur esterna, seu prochatarctica, vel primitiua, vel prætergressa. Esterna, quia extra nos sunt; prætergressa, quia præterijt: quæ autem intus ingressæ aut foris admotæ morbum hunc procreare possunt; vt aeris æstiui intensa caliditas, vel eiusdem regionis qualitas: vel cęli mala cura, aut Siri melancolici à nimium resoluentibus agitati in cancrum deriuant. Sunt etiam extra nos: cibaria, quæ in nobis ingressa, atram bilem generant: nam in habentibus simbolum, facilis est transitus; cibi namque atrabilarij, atram bilem generant: ex qua copiosa, cancer fit. huic sententiæ adstipulari videtur Galen. 1. metho. cum dixit, externa causa flegmonis, est abundantia ciborum. ergo & nos quoque dicemus causam externam cancri esse talium ciborum copiam.

Sapientes rerum omnium quatuor effinxere causas: Efficiens. s. in casu nostro erit affluxus atrabilarius: Materialis secundum medicos sunt membra laxa, & mollia, quamuis secundum philosophos sit humor, ex quo fit. Formalis, est durities, inęqualitas, & cętera huiusmodi, sicuti antea dictum fuit. Finalis non datur: quia casualium non est finis intentus: in his enim forma & finis in vnum coincidunt. De hoc fine audiendus est Auerroes secundo collectaneorum cap. 1. dicens. Finis trifariam dicitur. s. pro eo, ad quem necessario tẽdit, isque absolutè finis nominatur. Et pro eo quo consecuto, quæ huius gratia sunt constituta, consistant necesse est: atque hic causarum finis vocatur. Vltimò quemadmodum forma materię finem appellamus, qui perfectionis entis, finis inseparabilis dicitur, in quo tertio significato, noster prædictus finis accipitur, idest cancrositas, per quam cancer talis esse cognoscitur.

Dissident Medici à Philosophis: nam atra bilis secundum philosophos, esset causa materialis, ex qua morbus is efficitur, & non efficiens: & membrũ generans, & mandans essent causa efficiens, vt pote: quia vnum mandat, & alterum recipit; sed Medici contrarium sentiunt: quia causa materialis est ea, in quam morbus ipse constat. s. membra laxæ substantię, vt voluit Galenus in lib. de causis prochatarcticis, & alibi.

De causa materiali medicorum, s. de membris laxis, ne videatur absurda pauca hæc enarrare, intendimus ex Galeni sententia in lib. de causis prochatarcticis: sic arguendo. Sicuti totum corpus ex materia totius artis medicæ; in qua omnes morbi cõsistũt: ergo vna pars corporis vnius, vnius morbi materia erit. Morbus etenim est accidẽs, accidẽtis esse est in esse; parieti etenim albedo inest, sic morbus hic mẽbris laxis inest: quia sunt rara, & mollia, fluxionẽ crassam facillimè recipiẽtia.

Expedito numero causarũ, vt strictior nostra oratio de causis fiat, ad duo generalia capita omnes iam dictæ causæ reducentur, quorum primũ erit ex qua charcinoma constat, quia nihil inuenire licet, teste Galeno, in lib. de causis prochatarcticis, ꝙ materia non egeat, ex qua constet: quæ vt diximus causa efficiens est; exemplo Galeni 2. meth. ponentis sanguinis copiam pro efficiente causa flegmonis.

Secundum caput est partium adinuicem connexio: nam si corporis nostri partes adinuicem disiunctæ, nec mutuo se contingentes essent, nec viæ continuę permeabilesque forent, vtique materia de membro mandante in recipientẽ, dilabi, ac profluere non posset: vnde affluxus incassum adessent: confluxio etenim, & conspiratio vna in corpore nostro est, & omnia membra membris omnibus consentiunt.

Primum igitur caput principale de causis aggredientes, quod erat materia, ex qua quæruntur sex, primo quæ nam sit materia charcinomatis: secundo quotuplex ea sit: tertio quid peccati in ea misit: quarto quot sint eius peccati causa: quinto quo loci talis materia generetur: sexto quomodo hæc gignita materia à natura distribuitur.

Secundum verò caput erat de partium connexa, de quo considerabantur duo: quorum primum est: membri mandãtis vim; nam cum scriptum sit apud Hippocratem in lib. de natura

tura hominis, ꝙ fluxio non modo locum, ex quo abſceſſerit, afficit; verum in quem inſederit, exercet: copia, aut malignitate moleſtans: igitur mandans examinabitur tamquam cauſa efficiens remota. Suſcipiens verò declarabitur, quia tanta ei tribuitur vis à Galeno primo de differẽtijs febrium, cap. 4. vt ſine patientis aptitudine nulla cauſa quicquam agere poſſit in effectu. Actus enim actiuorum non agit niſi in patiente benè diſpoſito, quibus finitis, & ſoluto obiecto vnico, tractationi de cauſis modum imponemus.

Quæ ſit materia charcinomatis.

Ea non eſt bilis, quia ex lib. de ſimptomatum cauſis, ſi totum occupat corpus, ictẽritiam facit: ſi verò partem corporis, vel ſi herriſipelam, vel herpetam conſtituit: ergo carcinomatis non erit materia.

Non ſanguis: quia ex lib. de plenitudine, ſi totum occupat corpus, plectoram facit: ſi verò partem abſcederit, flegmonem conſtituit.

Non pituita, quia per Galenum de ſimptomatum cauſis, ſi totum apprehendit leucoflegmathiã facit: ſi partem aliquam abſcederit, in ea œdemata fiunt.

Non ſaroſa excrementa, per Galenum ibidem; quia ſi in toto abundant, aſcitem faciunt: in parte verò, frictenas faciunt.

Non melancolia: quia vt ait Auicenna in tract. de lepra, cap. 1. ſi ſpargitur in toto, nec putreſcit, fit lepra, i. græcorum: ſi partem aliquam abſcederit, duritiem, i. ſcirrum facit.

Non ventus: quia eſſet emphitema, & non carcinoma, ergo nulla iſtarum erit materia cancri.

At cum ex lib. de ſimptomatum cauſis dicat Galenus; ꝙ nullum eſt excrementum, quod non ſequatur propria ſimptomatum ſpecies: ergo ſi cancer eſt materia quoq; eius eſt: materia verò eius ita declaratur à Galeno ibidem, ꝙ atra bilis in toto diffuſa, facit elephantem: in parte verò congeſta, cancrum generat: ergo atra bilis carcinomatis erit materia, ex quocunque humore fuerit perfecta: deinde Galenus de tumoribus præter. ait, atra bilis non mordax facit cancrum: mor

dax

dax verò vlceratum, quæ si in solis venis, & carne consistit, cancrum facit.

Materia bilis duplex est, s. iam assata, & affluxa, vt Paulus quum teferbuit, & vt Actuarius cum efferbuit, s. dum assatur & affluit, & Oribasius feruenti, vel vt Aetius, vehementer feruens ab hac duplici fit cancer, vt Galen. ait de atra bile, quippe omnes huiusmodi affectus, & præsertim cancer, ab humore melancolico oriuntur, s. assato; nam sicuti non assatus ex lib. de atra bile, fit scirrus: ita ab humore atro per assationem fit cancer.

Quotuplex atra bilis est.

Quadruplex esse dicitur ab Auicenna li. 1. cap. de humoribus: ex quibus quatuor species eius fiunt: duas tanquam famosiores, & frequentiores, deterioresque à Galeno in lib. de atra bile accepit. Reliquas verò duas, vel a se ipso imaginatus est, vel ab aliquo alio Authore descripsit. Galenus itaque ait. Pernicio illius generatio est, cum ex humore atro supra modum assato contingat. De secunda vero dicit, ea bilis atra, quæ ex flaua bile immodicè assata ortum habet, hac perniciosior est existimanda: quarto, flaua bilis efficacior est sanguinis sedimentum.

De cæteris audiendus est Auicenna, tum etiam de omnibus quatuor simul loquens. Ait enim ipse vt supra; melancolia alia est, quæ est cinis colere, & adustionis eius, & ipsa est amara.

Alia est cinis flegmatis, & est, quòd ex eo adustum est, grossum, sub acre, aut ponticum.

Alia est cinis sanguinis, & quod de eo adustum est, salsum est, cum pauca dulcedine.

Alia est cinis melancholiæ, & quod de ea fuit adustum, si fuerit grossum, minoris erit accredinis cum ponticitate, & amaritudine.

A quibus omnibus cancer fit colore, calore, duritie, accidentium sæuitate maiore, & minore differt: quod in præsagiendo multi est auxilij.

Quòd sit cinis rectè appellata ab Auicenna, testis est Gal. 2. de facultatibus naturalibus, dicens. Cum nimirum ab adu-

stione

ſtione non naturalis caloris acrimonia illa adduxerit, ac veluti cinis quidam ſit redditus.

Quid peccati in ea inſit.

Vt atræ bilis peccata rectè recenſeamus, audiendus eſt Galenus 2. naturalium facultatum, dicens. Atra bilis, ideſt melancholia aſſata peior naturali euadit: ſiquidem acris & erodens eſt, vbi ad aſsititia putredo nigro illo ſucco naturaliter ſe habente acceſsit: quod enim ex naturali hoc ſucco naturaliter ſe habente, & ſupra fluitat, atrum ſuccum, non atram bilem dicunt. Quod verò ex vſtione quapiam, ac putreſcentia in acidam migrauit qualitatem: id atram nuncupant bilem, quod excrementum iam pręter naturam eſt: cum nimirum ab aduſtione, non naturalis caloris acrimoniam adſciuerit, ac veluti cinis quidam ſit redditus: & quemadmodum fex vſta, à non vſta disſidet. Illa nanque uſta admodum calida eſt: adeo vt carnem voret, liquet, atque corrumpat. Altera, quæ nondum eſt vſta, ad omnia vtuntur. Medica, atque terra figulari, alijsque, & tum ſicandi, tum refrigerandi facultatem habent: ergo ex hoc exemplo Galeni habemus, atram bilem eſſe cinericium quoddam ex vſtione facta, caliditatem ſiccitatemque, & acrorem, & erodentiam posſidens.

Exuſtis etenim corporibus, quoniam fit ſeparatio humidi à ſicco ex calore, 9. ſimplicium cap. 1. Nullum erit planè frigidum: relinquitur enim in corporibus illis exuſtis ignis acrimonia, vt in calce & cinere facilè cernitur, quorum quidem acrimona, lotione tollitur. Nam caliditas inſuperfuſa aqua ingreſſa facit lixiuum illud acre, & interdum comburens: ſed in ipſo cinere, aut calce, nulla ineſt caliditas poſt lotionem eius.

Vt autem funditus eius peccata detegamus, audiendus eſt Gale. in lib. de conſti. artis, dicens. Perniciosſiſsimus ſuccus eſt atræ bilis, cum alijs præualuerit, vtpote: quia præ cæteris, & rodat, & maligna admodum ſit, concoctuque difficillima, & ad purgationem ineptisſima, atque etiam plurimum indicet calorem, à quo ſit per aſſationem genita.

Hucuſque ex Galeni ſententia, 2. de facultatibus naturalibus, & ex lib. de conſti. artis. atrę bilis peccata recenſuimus:

ſupereſt,

superest, vt specialiter vniuscuiusque bilis peccata recenseamus. Ex Auicennæ loco citato dicente. Malę igitur colerę nigræ species sunt tres. Colera rubea, cum aduritur melancholia phlegmatica, quæ tardioris est nocumenti, & minoris impedimenti. Atra verò bilis ex colera est fortioris malitiæ, & velocioris corruptionis: veruntamen est susceptibilior curationis. De alijs verò duabus diuisionibus, quę magis acrior est, deterior est, si tamen in eius principio auxilium præstò fuerit, citius medicationem recipit. Tertia verò, quæ minus supra terram ebullit, & minus in membra penetrat, tardius perimit: sed ad resoluendum, & ad maturandum, & ad medicationem recipiendam magis est effrenis: sed cum omne deriuatiuum sapiat naturam sui primitiui, peior erit colerica, & melancholica; mitior phlegmatica, & sanguinea: quia siccũ acuit calorem: humidum verò hebetat eum.

Causæ assationis eius.

Quia diximus peccata omnia ex adustione ipsius atræ bilis ortum habere, quærendæ igitur sunt eius assationis causę, quę sumuntur à mundi Regionibus. Ab anni temporibus. Ab aeris constitutionibus. A partibus diei. Ab hominum temperaturis. Ab eorum ætatibus. Ab ipsorum membris. A talibus cibarijs. A vigilijs. Ab animi studijs. Ab exercitijs. A prȩhabitis ȩgritudinibus. A membris suo orbatis munere.

Regio.

Plato in secunda Thimei parte scriptum reliquit, dicens: Ex huiusmodi rebus num. 4. scilicet elementis, mundi corpus conflatum est: & Arist. 4. Metheororum, à principio ea inesse veluti per stirpium, & animalium generatione. Item in lib. sex principiorum alteratur corpus nostrum in ęstu, in Hieme, in Vere, & in Autumno simpliciter, & omnia. Gal. verò in 8. lib. de Placitis Hippocratis, & Platonis. Regiones, ætates, anni temporibus comparauit. Item 2. vulgarium 14. Partes diei, partibus anni Galenus ipse comparat: & quod de qualitate ipsorum tribuit, ab elementis in omnibus elementatis prædominantibus id esse asserendũ est: quibus stantibus de-

ſcendamus ad dicendum, quæ natura ex regionibus aſſando humori conuenientior ſit.

Huius rei auſpicium erit ex 2. de temperamentis:nam Aegyptij, Arabes, Indi, Aethiopes, & Meridionalem calidam, & ſiccam incolentes Regionem, plurimam atram bilem generant: quia ex lib. de atra bile, dixit Galenus: Plurimam atrã bilem gigni in locis calidis, & ſiccis. Vnde 2. ad Glauconẽ cap.de cancris: Dicit quamplurimam atram bilem generari in Alexandria, ob id elephanticos multos habet regio illa,ob regionis feruorem ignis ęmulam, aſſante ſanguinem,vel alios humores: ſed in Germania,& in Illiria,& Sarmatia,& Scithia; & Gallia, & Tracia: quia hæ Regiones hument rarisſimè, & cancer vniuerſalis, & particularis efficitur ob Regionis algorem, & humorem: ergo ſi plurimi ab elephante per æſtum talem corripiuntur: longè verò plures à cancro corripi ſuſpicandum eſt, qui vnam tantum noſtri corporis partem ambit & posſidet, & ab eadem materia ſimul cum elephantiaſi fit, & eodem nomine à Græcis,& Arabis inſignitur. Validior etenim copia requiritur ad vniuerſi corporis morbum conſtituendum, quàm ad particularem tantum: & maior eſt totius corporis reſiſtentia, quia in eo omnis diffuſus eſt calor natiuus, quàm in parte aliqua, in qua caloris exigua portio eſt: ergo non eſt mirandum, ſi in talibus Regionibus aſſentur humores pro vtroque morbo generando.

Anni tempus.

Gal. in libro de atra bile, dixit. In calidioribus ſimul, & ſiccioribus anni temporibus, plurimã atram bilem generari ex vſtione ſcilicet,quia ſicuti Regiones calidæ,& ſiccæ habẽt elementum ignis prædominans: ita & anni tempora, ſ. æſtas calorem, & ſiccitatem,ignem repreſentantem ſuſtinent aſſandis humoribus opportunam.Igitur non immerito tertio prognoſticorum tex.28. in fine illius commenti Gal.ait.Vt enim per tempora calefactos æſtate admodum humores, & vt ita dicatur,bulientes,neceſſe eſt gignere atrabilarem humorem, quem accipiens collectum, autumnus in corpore, vtpote frigidus, & ſiccus, nequaquam patitur extroſum diſflari, nec facilè euacuari: vnde Gal. de natura hominis, dixit. Atra

porrò

porrò bilis autumno, & plurima, & fortisſima eſt: Ergò apta etiam nata eſt conſtituere hos morbos.

Conſtitutiones Aeris.

Gal. in lib. de atra bile, dixit. Calidioribus,& ſiccioribus conſtitutionibus hanc bilem tum fieri, tum redundare: quia cum ignitæ ſint, aſſationi opportunæ ſunt, & maximè cum validæ ſint, tunc vim habent mutandi etiam tempora: Ergò aſſandis humoribus erunt quoque opportunæ pro materia cancri generanda: Oribaſius verò ſupra illum aphoriſmum: conſtitutiones mutant tempora, dixit.

Horum ergo temporum immutationibus maximè immutationes humorum noſtri corporis fiunt:quia per iſtos nutriuntur corpora, & ex ijſdem inficiuntur: Ergò nihil miri eſt,ſi tales immutationes ratione aſſationis fiant ad atram bilem generandam, quia. igni emulæ ſunt.

Diei partes.

Gal. ſuper ſecundum vulgarium Hippocr.14. quatuor elementis, quatuor diei partes a Galeno ibi comparatæ fuerũt: nam meridies igni, & æſtati ſimilatur: Ergò aſſandis humoribus opportunas.

Hominum temperatura.

Hippoc. de dieta, dixit. De naturæ igitur cognitione ſicca prima conſtitutio eſſe oportet. Puer itaque ex calidis, & humidis temperatus eſt: quia ex his conſtitutus eſt, & in his augmentum accepit: humidisſima igitur, & calida ſunt corpora propè generationis augmentum quamplurimũ, & quæ ijs proxima ſunt, eodem modo habent. Adoleſcens quidẽ calidus eſt: quia ignis imperans, aquæ dominatur ſiccus autem:quia humidum ex puero conſumptum eſt,partim in augmentum corporis, partim in motum inſiſtens, partim prę laboribus, ac exercitijs, vt cum ſteterit iam corpus, ſiccus eſt & frigidus: quia caliditatis impetus non amplius dominatur, ſed ſtat corpus ab augmento quieſcens, ac perfrigeratum, ex adoleſcenti ætate ſiccitas ineſt: ab inſequenti autem ætate,& aquæ acceſſu, humiditatem non habet: quapropter ex frigi-

dis & ſiccis, exuperatus eſt. Senes autem frigidi, & humidi ſunt: quia ignis quidem receſſus contingit, à quo autem receſſu, & ſi quorum quidem ſublatio humidorum autem ſtatus eſt. Gal. verò in libro de atra bile, ait. Siquidem in animantibus, quæ calidiora, ſiccioraque temperamentis ſunt, in his amplior naſci atra bilis, contingit ratione, ſ. aſſationis humorum: vnde conſiderans hoc Gale.3.de loc.affect.cap.6. ait. Vniuerſum corporis habitum conſiderare oportet: nam molles, candidi, & obęſi: quia frigidi, & humidi ſunt, & aquę asſimilantur talem humorem non habent: macri igitur, & nigri, duri, & hirſuti, & quibus latæ ſunt venæ, ad hunc humorem generandum ſunt apti: quia ſcilicet ſunt melancholici per aſſationem, ſicuti conſiſtentes, & ſenes, qui ſenes ſunt frigidi, & ſicci per ſe, & humidi per accidens. Interdum etiam & ruffi, & flaui: quia calidi, & ſicci ſunt, in melancholicam temperiem ex aſſatione factam degenerant.

Hominum ætates.

Iuuenes, & conſiſtentes, calidi, & ſicci non immerito ab Authoribus ponuntur: quia quanto magis abſunt ab humido retundente aciem caloris, tanto magis ad ignium inclinãt: vnde non immerito dici aſſolet, ſiccitatem eſſe limam tum caloris, tum frigoris. vnde conſiderans hoc Gal.3. prognoſticorum commento 28 in fine, ait. Aetas inclinans efficit, quòd quantum in ætatis vigore humorum efferbuit, atque in atram mutatum eſt, videtur id difficulter diſcuti; vnde fit, vt ad vſque ſenectutem, in medio illo tempore, atrabilarij omnes morbi in ijs magis exuperent, in alijs verò minus, vt elephas, cancer, & lepra: quæ omnes ex humorum aſſatione in talibus ætatibus fiunt.

Hominum membra.

Mẽbra igitur cõſiderãtur in hoc caſu triplicitet, vel vt generant hũc humorẽ, vtpotè quia ſint plus iuſto calida, & ſicca. Vel recipientia talem humorem, vel non recipientia eũ: vel non tantum recipientia: ſed non extramittentia illum, de quibus Gal.2. ad Glauc. ſic eloquutus eſt, & primo de generante, & non attrahente dicit.

Igitur

Igitur ostendimus hunc humorem, dum sanguis hepate in conficitur fæcis vrinariæ proportione generari: expurgari autem à splene, qui ex eo naturaliter alimentum recipit: cum igitur naturalis temperatura hepatis hunc humorem generauerit paucum, & talis ratio victus adhibita fuerit, & splen satis ex eo, quod generatur attrahit, nulla huiusmodi superfluitas in venis coaceruatur. At cum vel omnia, vel aliqua ex prædictis in contrarium euenerint, in venis multiplicatur huiusmodi humor: quia vt Gal. ait in libro de simptomatũ causis. Intemperies, quæ alteratricis facultatis imbecillitatem peperit, calidior quam oporteat, interdum biliosum, interdum melancholicum excrementum efficit: ex quo Auicenna coactus fuit asserere, prima primi cap. de qualitate generationis humorum, quòd superfluens caliditas iecinoris coleram gignit rubeam, magis verò superflua melancholicam; i. atram bilem facit.

Impeditur verò splen à munere suo, ex libro de atra bile, cum longo tempore malè habuerit, siue ex inflammatione, vel scirho, siue imbecillitate laborauerit, tunc liuidum colorem in toto corpore cernimus.

De expurgantibus, tertio de locis affectis, sic scriptis reliquit. An hemorois aliqua astricta sit, aut aliqua alia sanguinis consueta fluxio, vt menstrualis: nam 2. ad Glauconem, charcinosi tumores in omnibus partibus corporis fiunt; sed præcipuè in mulierum mammis: quęcunque naturali sua purgatione destituuntur. Nam quandiu hæc vt oportet affuerit, tãdiu mulier integra sanitate fruitur. Ergò hepar iusto calidior, ac siccior, ad generandum per assationem hunc humorem aptum erit.

Item & splen inflammatione, & scirho laborans, non suscipiens hoc excrementum hoc efficit.

Item adstrictæ consuetæque hemorrhoides in viris, faciũt, vt congeratur talis humor, & in partibus laxis transmittatur, vt fiat cancer.

Cibaria.

Eadem proportione respondent elementis cibaria, sicuti & regiones, & cætera ea, quæ hucusque examinauimus: nam

cum

cum diuersa sint in hominibus membra, & diuersæ sint hominum temperaturæ, diuersè igitur expostulant alimentum, vt cuicunque suum proprium alimentum exhibeatur.

Biliosa siquidem biliosis gaudent cibis, vt vinis dulcibus, ac potentibus aromatibus, & cætera huiusmodi.

Pituitosa verò piscibus, carne suilla,& agnina; & cæteris alijs proportione respondentibus.

Sanguinea verò carnibus pullinis,hedinis, & ouis sorbilibus, & reliquis huius farinæ gaudent.

Melancholica,melancholicis fouentur cibarijs, de quibus, ex 3. de loc.affect.paulò inferius dicemus: interim audientes Auicennam de cibarijs secundum humores tanquam causas materiales eorum disseremus,libro 1. fen 1. doctr.5. cap.2.

Causa materialis sanguinis est, id quod ex nutrientibus temperatum est, & de potibus bonis.

Causa materialis choleræ est, id quod ex nutrientibus est subtile, calidum, dulce, vnctuosum, & acutum.

Causa materialis phlegmatis est, quod ex nutrientibus est grossum, humidum, viscosum, & frigidum.

Causa materialis melancholiæ est,quod ex nutrientibus est vehementer grossum, paucæ humiditatis, & quod ex eis est calidum, fortius est, vt in hoc.s. atra bilis generetur: nam de cibarijs doctrina multum vtilis est,vt dixit Auerroes 2.collectaneorum cap.1. Ea etenim sanitatis & ægritudinis causas esse, dicens. Porrò id te memoriæ tenere velim, nostra corpora à vitijs tantum posse vindicari, quæ nobis ex accidenti cõtingunt: idque potissimum ab excrementis moderata copia proficiscentibus: quæ quidem ab alimentis prouenit. Quippe si ratio victus moderata ab omnibus vsurparetur,à nullo vsquã sanitas abesset, atque hoc oraculum in arte Medica diuinissimum, firmissimumque etiam tibi persuadeas velim: alioquin mutila, ac manca, claudicansque medicina esset.

Confirmat hoc Hippoc.in lib.de veteri medicina, dicens. Cumq; ex cibis quicunque incommodi sunt, & ingesti homines lædunt.Gal.verò de cibis boni,& mali succi,vltra quãtitatem, & qualitatem etiam perpendit, dicens. Quanta vitiosi succi ex malis cibarijs gigniti, ad gignẽdos morbos vim habeant, hinc discere oportet: nam ab ijs alimur, quæ naturæ no-

ræ noſtræ ſunt familiaria: quæ verò illi aduerſantur, nos in perniciem deducunt. His ergo præhabitis ad enarrationem ciborum melancholicorum ex Gale.3.de loc.affect.deueniemus.cap.6.

Dicit igitur, Cibaria hunc humorem generantia, ſunt caro coruina, hircina, bubula, aprina, taurina, leporina, limatiarum frequentata: & eo magis ſale condita. Ex piſcibus verò caro tumni, canis marini, cetaceorum omne genus, præcipuè ſale conditorum. Ex oleribus verò ſola ferè braſica huiuſmodi atrum humorem generare conſueuit, ſicuti ex leguminibus lens inter melancholicos cibos connumeratur. Ex panibus verò furfuracei, miliacei, vel ex aliquo vitioſo ſemine facti, melle præcipue, & ſpeciebus conditi: Ex vinis verò, dulcia, vel vinoſa, nigra, & craſſa: ex lacte paratis, caſeus antiquus: de quo Auer.5.Collectaneorum cap. de lacte, ſic ſcriptum reliquit. Vetus caſeus eſt calidus, & ſiccus, propter ſal tendit ad vſtionem. Item aromata omnia, & quæcunque acria, vt allia, cœpæ, bulbi, acetum, & quæcunque ſurcula, herbarumque germina, & ſemina ſale, & aceto condita ſeruantur. Item torrida, & aſſa, vel frixa, & ſiccata multum: & omnia denique calida, & ſicca craſſæ ſubſtantiæ. Item Iſaac lib. 5. Theoricæ cap.109. vult, quod ira ſit valdè propitia ad generandum huiuſmodi atrum humorem.

Vigiliæ.

Galenus de atra bile dixit, vigilijs, tanquam aptis ad aſſationem humorum, vt in atram bilem degenerent, ſiquidem corpus noſtrum calefaciunt, & ſiccant, teſte Galeno in commẽtario quarto de morbis vulgaribus ſupra tex.uigeſimum, in quem ait Hippocrates: vigilia edax, & Galenus reddit cauſam, quia corpus digerit, ergo calefaciunt, & ſiccant: confirmat hoc Auer.2.collect.cap.85.dicens, igiliæ verò ſi modum exceſſerint, arefaciunt, calorem disſipant naturalem, & eum, qui ex accidenti prouenit, accendunt, quia.ſ.igneam habent naturam, ex qua aduruntur, & ſpiritus reſoluuntur, vt Auicenna dixit tertia primi, vigiliæ humores adurunt, maciem inducunt, ſpiritus reſoluunt, & calorem, ſ.præter naturalem, augent.

Animi

Animi studia.

Galenus de atra bile dixit. Curæ quia dici assolet, cor vrunt curæ: de quibus in arte parua cap. 85. sic loquutus est. Liquet caueri omnes animi immodicos affectus, videlicet iræ, furoris, verecundiæ, odij, inuidiæ, liuorisque: hæc enim alterant, atque à naturali statu corpus auertunt. Addit Actuarius lib. 4. sui Methodi cap. 3. metum, & animi abiectionem, & mærorem, quoniam corpus inclinant ad frigidum, & siccum; sicuti si ira, & furor extiterit à bile superflua gignuntur ad biliosum corpus nostrum trahunt, & illatim conducunt, cum ignea qualitate hæc prædita sint.

Exercitia.

Galenus de atra bile dixit, Exercitijs cum laxitudine, i. multa, & validis, quod notauit Auerroes secundo collectaneorum cap. 2. dicens, Ex valido exercitio digeritur, exauriturq; corpus, quia s. in eo infigitur caliditas, & siccitas. Confirmatur hoc ex 5. de sanitate tuenda, Exercitia modum excedentia biliosum animal reddunt. Similiter 4. de tuenda, dicit: quos multus labor exercet biliosum, vel melScolicum reddit: illum æstate, & autumno talis humor gignitur, quãtoque diuturniores labores fuerint, tanto sunt ad atram bilem generandam magis propensiores, & maximè quando cum sudore obeuntur. Itaque si corpus ab eis digeritur, si biliosus efficitur homo, ergo assationi conueniunt.

Prætergressæ ægritudines.

Galenus de atra bile ait, ad hæc in ardentibus morbis, qui citra humiditatem proueniunt, vt post ardentissimas febres, & post quartanam valde biliosam exuruntur humores, & in atram bilem vertuntur.

Quo loco distribuantur.

Galenus in lib. de atra bile ait. Naturæ munus esse sanguinem ab excrementis purum reddere, mittens ipsum excrementum tum per loca naturalia; tum per ea, quæ sunt præter naturam. At præter naturalia si mittit, vel mittit ad cutim,

vel ad carnem, vel ad venas, vel ad totum, vel ad partem aliquam; & quod mittit, vel est tenue, vel crassum, vel acre, vel mite. Si ad cutem, vel ad vniuersam, vel ad ipsius partem tantum mittit. Si ad vniuersam,& tenuis sit, vel remittit excrementa squammosa, & facit lepram Græcorum, vel furfurosa, & fit spora: si ad partes, alsum nigrum creat: Si ad carnem, & crassa sit, & mittitur ad totum, & mitis sit, ælephantem sine vlcere facit: si acris, cum vlcere. Si verò ad partem aliquam, vel calefacit, & febrim inducit, vel non admodum calet, nec febrit. Si primo modo carbunculum, si secundo modo căcrũ cõstituit. Si verò mittitur ad venas ani, hæmoroidas, vel oschei, vel chitsocelem, vel tibiarum,& varices procreat.

Connexus membrorum.

Secundum generale caput de causis erat membrorum ad inuicem connexum; etenim per affluxum morbi vlli fierent, nisi membra mutuo se contangerent, & adinuicem mutuo conspirarent, quod comprobare intendens Galenus in commentario secundo de natura hominis supra textum primum & secundum, ait.

Animantiũ particulæ sic cõnatæ inuicem sunt, vt humores morbifici ex ijs, quæ propellere ipsas possunt, in alias transferunt; & rursus & illis in alia: rursusque dum alicui imbecillorum impacti fuerint; qua non amplius vllam imbecilliorem partem habeant, vt humorem, qui offendit eam, ad aliam vltra transmittat. Ista ergo transfusio de vno ad aliud membrum, non nisi per connexum, & per canales de membro in membrum transeuntes fieri potest. Si igitur hæc particula habeat emissaria, sicuti intestina, venter, & vesica, & matrix, causam lędentem per excretionem euacuabit: si humor consistentia tenuior fuerit, emissarijsque particulæ frequenter disruptis, vel vasis adapertis, abundè facta fuerit euacuantia, veluti in sanguinis profluuio citra vulnus. Si autem nec adaperta, nec disrupta vasa fuerint, & crassus, viscidusque decumbens humor fuerit, tumorem præter naturam in particula excitat: (hæc Galenus.) Vidimus interdum nos mulieres duas; in altera quarum fluebant hæmoroides, nihilominus tamen cancrosum tumorem habens apud hæmoroidas. Reli-

qua verò menses fluidos habebat;sed à cancro detinebatur in matrice: harum verò causam quærenti respondebitur,ꝙ pars tenuior, vt voluit Galenus vt supra,fluebat per menses, & per hæmoroidas: pars verò crassa, non poterat excerni, & ideo cancrosum excitauit tumorem: quia ibi retenta fuit. Vel aliter dici potest, ꝙ tanta erat huius humoris copia,quòd non sufficiebant viæ naturales per menses, & hęmoroidas, sed in carnē quoque detinebatur.Humores igitur superflui, vt Galenus dixit de atra bile,ex Hippocrate de natura hominis; non modo locum ex quo recedant qualitate,sed quantitate affligunt: sed etiam in quem recumbunt; nam à quo recedunt, est membrum mandans: In quem,verò resedūt,est membrum recipiens, per quę tanquam à termino a quo ad terminum ad quem deriuat affluxus: igitur de his duobus tanquam ad connexum maximè spectantibus verba faciemus, vt de connexis historia perficiatur.

Mandantis cognitiones, & cur.

Galenus de morborum causis ait. Etenim cum quatuor sint potentiæ, à quibus quilibet pars animalis,& plantæ prædita est. Alia namque sibi familiarem nutrimentum attrahit. Alia continet; alia alterat: reliqua redundans exonerat. Cūq; duplex sit excrementi genus: in quantitate.s. vel in qualitate offendens:cum deniq; omnium corporis partium non æquale sit robur, quippe principes partes, cum statim ab initio excrementis abundant, in imbecilliores transmittunt: excrementum enim à robustiori quaque parte sic expellitur vt nusquam consistere possit, donec alicui imbecilliorum, dilabatur,s.vt tumorem inibi faciat præter naturam.Fortitudinis igitur causæ erunt contrariæ ijs descripitis de imbecillitate à Galeno secundo ad Glauconem cap.primo:Requirit etenim, vt sit pars illa nobilior, vt sit superior, vt sit solidior, nec admodum cadens; ex parte autem humoris, vt ea princeps pars irritetur vel ab humoris copia, vel ab eius acrimonia,quemadmodum in cancro iecur,aut splen atrę bilis referti, tum a copia,tum ab acrimonia irritati depellunt in suscipientem membrum debilem pro cancro fiendo.

Su-

Suscipientis conditiones.

Suscipiens pars secundum monitum Galeni in lib. de causis morborum,& secundo ad Glauconem: omnibus imbecillior esse debuit : Ignobilior, inferior, & rarior, & ad attrahendum paratior alioquin fluxionem non admittet. Imbecillis autem de morborum causis pars hæc est: quoniam vel cum formaretur, aut subinde noxam subijt, aut suapte natura talis esse debuit, vt cutis. Rarior, vt ademne. Inferior, vt matrix, & anus. Ignobilior, vt cutis, & ademne. Ad attrahendum verò paratior est: quia calidior:qui quidem calor aut est ei naturalis, sicuti carnis, & arteriarum; aut non naturalis, s.ex dolore profectus: vel ex superfluo motu generatus:aut a pharmaco calēte nimis perductus, sicuti in scirrho melancolico tentato à malacticis; vel in calo pedum, vt voluit Auicen. cap. de almismare, à Piroticis irritato, vertitur in cancrum. Vel ab aliqua specie solutæ vnitatis excitato, igitur membra laxa, rara, & mollia, vt Actuario placuit, ad recipiēdā crassissimā hanc superfluitatē sunt idonei, & per consequens, vt contineatur, addendū est debilitas virtutis expulsiuæ, vel abstructio meatuū naturalium, vel antegressę ægritudines in eis.

Cur apostemata fiunt, cum fieri non deberent.

A Galeno quæritur in lib. de morborum causis: vtrum tumores præter naturam possint fieri, necne? & arguit ad partem negatiuam, dicens. Si naturam protinus ab initio instrumenta construxit, quibus excrementa purgantur, atque ex sola abundè ad bonam valetudinem seruandam sufficiunt: ergo ab ipsis excrementis tumores præter naturales excitari non deberent. Respondet autem ipse, dicens, quòd instrumenta illa ad bonam valetudinem seruandam sufficiunt, vbi neque ex ambiente nos aere, animali noxa infertur, neque ob errorem victus totum corpus immodicè excrementis redundat: accedente autem aliquo huiusmod peccato naturalia instrumēta sola ad excrementi multitudinem expurganda non sufficiunt: proinde fluxiones à potentioribus depulsæ in imbecillioribus irruunt: concurritque interdum, vt constipentur meatus, per quos excerni consueuerunt, vt ad partes alias

deriuent: in quibus tumores præter naturam excitantur. Quare nil miri erit, si cancri generantur, & hic de causis tractandis modus imponitur.

Vlteriorem cognitionem charcinomatis per alias differentias tradens. Cap. V.

DIXIMVS ex Porphirio cap. de differentia: genus stare pro materia, differentias verò pro forma. Siquidē forma illa est, quæ dat esse rei: & denominationem, & cognitionem ipsius rei. Igitur quas in diffinitione omisimus differentias, vtpotè quia impotentes erant in diffinitione contineri, has igitur hic prosequemur. Rei huius initium sumentes à nominis ethimo. namque Galenus secundo de differentijs pulsuum idem fecit, cum dixit, differentia à differendo appellata, & nominata est. Porphirius verò vlterius progrediens cap. de differentia, tex. 1. dixit. Communiter vnum ab alio differre dicitur: quoniam vel à sese, vel ab alio varietate quadam differt: sed verissima & intimior omnium differētia ea est, quæ maximè propria est, qua differentia specierum procreatrix est: de qua Ammonius ibidem dixit. Differentia, quæ nec separari potest, nec fortuita est, substantiam diffiniti complet, eiusmodi est rationis particeps, & mortale. Ratio enim nos à belluis distinguit: sicuti mortalis ab angelis, quemadmodum cancrositas in cancro est, quæ quidem cancrositas resultat in omnibus partibus diffinitionis simul iunctis, à quibus constituitur & completur, talis rebellis, & indomitus morbus. Nam indiuiduum quibusdam proprietatibus constat, quarum collectio in alio inuenire est impossibile.

Loquuturi de differentijs, quærendum primitus est, vnde tumorum varietas nanciscatur. Ad quod quæsitum respondet Gale. 13. Methodi, dicens. Omnium tumorum præter naturam varietas ex eius, quod influit, natura nascitur: igitur primo huius morbi differentia sumetur ab humoris varietate.

Differt igitur à se ipso: quia bile torrida, ab eo: qui à sanguine, vel à flegmate, vel ab atro humore assata fit.

Differt à materiei quantitate: quia ex parua paruus, ex multa maior fit.

Differt materiei qualitate, nam calidior, & acrior est, qui à bile torrida, quam ab alijs humoribus. Item malignior est a bile torrida: quia perniciosior est, quam ea, quæ ab atro humore fit, vel à cęteris iam dictis: quia acrior est.

Differt humoris tenuitate, & crassitie; nam magis tenuis est a bile, quàm à sanguine, sicuti magis crassus est ab atra bile, quàm à sanguine &c.

Differt colore: quia liuet, & rubet à sanguine: liuet cum citrinitate à bile; liuet, & albet à flegmate: liuet, & nigricat à melancolia, & quanto crassior, & nigrior hęc materia fuerit, tanto passio hæc deterior erit.

Differt duritie: maiori, & minori: nam ex bile, & sanguine, vtpotè, quia minus solidi, minus duri fiunt cancri, sicuti ex flegmate, & atra bile, vtpotè, quia solidiores, duriores erunt cancri, quandoquidem hoc animaduertens Celsus, dixit, Nunquam durior, aut mollior esse, quam naturaliter debebat. Item Aetius, quòd illusionem duritiei in nobis concitat: nam ait, spectantibus quidem mollis apparet, tangentibus verò durissimus, ideo opinioni, uisu, conceptu credendum non est.

Differentia à morbo.

Prima est à morbi magnitudine, & paruitate; nam alius paruus, alter verò magnus est, alter verò maximus, qui vt peponis magnitudinem impleat, vt dixit Rasis.

Differt initijs cognoscendi suę difficultate, aut facilitate. Difficultate namque 14. Methodi ait Galenus, quòd cum adhuc incipit, nihil miri est, si vulgus lateat, non secus profectò, quàm stirpes, quæ à terra iam exeunt, quando hæ quoque peritis tantum agricolis cognoscantur, facile cognitu est eius initium secundum Auicennam cap. de cancro, vtpotè quia in primis cum apparet, in principio est sicuti faba parua, durus, & rotundus fusci, coloris, in quo est caliditas quædam. Quis igitur tam stupidæ mentis esset, qui eum cum ijs notis

ab

ab Auicenna descriptis non statim agnoscat? At illud Galeni initium: quia antequam emergat in membrum materia oberrante, cognosci difficilè est, nisi coniectura, aut mente perspicaci ex victu s. præcedente, & habitu totius, & repræssis consuetis fluxionibus, & cæteris alijs, de quibus in cap. de Causis actum est, addito dolore in membro passuro.

Differt forma: nam magis in mamillis: quia damnosæ sunt, formam cancri animalis imitatur, & quia venis multis scatent, vt dixit Galenus secundo ad Glauconem. In mamillis autem comperimus tumorem forma, ac figura, cancro animali consimilem.

Differt formæ in mutatione: nam cum strumosus efficitur euariat formam tantum; sed accidentia non euariat; nam in eis, authore Aetio 15. lib. cap. 5. facit inflammationem, dolorem, pulsum, & venas prominentes, & irritationem à medicamentis, & à ferro.

Differt à Scirrho melancolico, quia ei non erat inflammatio, nec pulsus, nec venarum conspicuitas, nec ab emollientibus irritabatur

Differt ab almisnare: quia & si sit tumor durus, & rotundus, & dolorificus: non tamen habet inflammationem, & pulsum, & venarum conspectum, sicuti cancer: nam ab epipasticis, aut escharoticis irritatur, nisi quando cancerositas ei peruenit.

Differt à thimis: quia vt inquit Aetius 14. lib. cap. 4. postquam venerunt ad cancrositatem, duriores, & scabriores, ampliores, fęculentiores, liuentes, dolentes, & ad medicaminū, & à manuali opere irritabundi effecti sunt, quod antea non erant.

Differt à se ipso forma, quod vlceratus à non vlcerato differt: nam vlceratus est in genere solutæ vnitatis: non vlceratus in genere tumoris præter naturam.

Differt ab alijs tumoribus præter naturam.

Differt materia à scirrho pituitoso, & melãcholico, quãuis in duritie conueniat, quia hic ab atra bile, ille verò à pituita, alter à melancholia fit.

Differt à ſcirrho in genere: quia cancer inæqualis, & aſper eſt, ſcirrhus autem non. Dolore, quia cancer dolet, ſcirrhus autem torpet.

Differt à ſcirrho: quia cãcer incipit à faba cum cæteris alijs ſignis, ſcirrhus autem non.

Differt creſcẽdi velocitate: nam ſcirrhus tardè creſcit, cancer verò non ita.

Differt venarum conſpectu, qua ſcirrhus non posſidet.

Differt pulſu: quia ſcirrhus non pulſat; ſed torpet. Differt membrorum obſeſſu, cancer namque membra laxa, & mollia corripit: ſcirrhus autem ſolidiora occupat.

Differt modo curæ, ſcirrhus ab emolliẽtibus vincitur: cancer verò ab eis irritatur: cancer, quia calet, à frigidis iuuatur: ſcirrhus vero in peius labitur.

Differt ab inflammatione: quia tametſi inflammatio venas tumidas habeat, non tamen habet calidas, & rubras, vt inflammatio, nec tam tumentes, & latas, ſed liuentes, craſſas, & ſanguine atro plenas cancer posſidet, in cancro etiam eſt durities, in inflammatione verò tenſio.

Differt ab elephantiaſi: quia cancer eſt particularis morbus, elephantiaſis verò vniuerſi corporis: Item materia elephantiaſis eſt ſparſa per vniuerſum, cancri autem materia eſt concluſa in vnico membro. Item cancer à fortibus irritatur, elephantiaſis vero ab eis ſuſtinetur.

De cognitione carcinomatis penes admittentiam, & non admittentiam curæ per prognoſtica. Cap. VI.

DE prognoſticis loquuturi, primo eius vtilitatẽ explanabimus, & à quibus fontibus emanant, poſtmodum rem propoſitam aggrediemur.

Præſagiorum igitur ea eſt vtilitas, quæ apud Hippocratem ſecundo Prædictionum ita diſponitur, dum ait. Conſulo, vt quam prudentisſime agant, tum in reliqua arte, tum in huiuſmodi prædictioni-

ctionibus. Illius memores, quòd si cui successerit prædictio, is apud ægrotum intelligentia præditum, in admiratione fuerit. Si verò plus aberrauerit, supra hoc quod odio habebitur fortasse etiam insanire videbitur. Secunda vtilitas est. Sorana Ephesio teste, in isagogen artis medicæ, quòd pro scientia prædicendi futura puram fidem tribuit, vt mente concredantur nobis ægrotantium corpora.

Vnde verò nascantur hæc præsagia, Soranus in lib. de præcognitione ait. Cognitio speculatione inuestigatur. Ex cognitione verò exquisita affectionum futurorum præcognitio colligitur: ex præsentium etenim natura futurorum, cognitio nascitur.

Præsagia igitur oriuntur à fontibus iis, s. à morbis vi, ab infirmorum natura, à materiei malignitate, à membro ægro non admittente modum curę, Galenus namque in lib. de constitutione artis, ait. Ad curationem præsagia maximè vtilia existunt, sed curatio triplici instrumento perficitur, victu, pharmaco, & manu: ergo de necessitate præsagiorum penes hæc tria instrumenta, bonum erit audire Authorem introductorij, cap. 8. dicentem, Præsagiendi pars medicinæ, curatione morborum per uictum summè est necessaria: nam præterita, & præsentia ad morbi causam inueniendam diligenter inspiciemus. Insuper magna necessitas erit, & est, ad præsagiendum, mors ne, an salus expectanda sit: pari modo chirurgia, & farmaceutica sine inditiorum obseruatione non absoluitur, quippe præsagia eodem modo desiderant, quibus scias, quæ curationem non admittunt, quæque etiam recipiunt, sed vehementer aut offendunt ægrum si contemnantur, aut e medio tollunt.

Primus fons præsagiorum erat morbi vis, secundus erat infirmi natura, de quibus Galenus in lib. de constitutione arti. cap. 20. sic ait. Medicus his duobus, morbo inquam, & natura, tanquam adinuicem colluctantibus animum semper intendit, & cum discernit quod interitu præsagium disponit, igitur celerrimè soluendus morbus erit: cum validiores naturæ vires fuerint, pariter ita cito mors aduentabit, si vires imbecilliores sint, naturæ verò morbi vires fortiores fuerint. Naturæ autem robur pulsus indicat, morbi verò robur sim-

ptomatum vis decernit. Tertium erat materiei malitia quẽadmodum in propoſito atra bilis eſt, de qua Galenus in eodem lib.ſed cap.17.ait. Perniciosiſsimus ſuccus eſt atræ bilis, cum alijs præualuerit, vtpotè quia præ cæteris & corrodat, & maligna admodum ſit, concoctuque difficilima, & ad purgationem ineptisſima: atque etiam plurimum indicat calor, à quo per aſſationem gignita ſit. ergo ex his verbis habemus, cancrum perniciosiſsimum eſſe morbum, quia à perniciosiſsimo ſucco fit, facillimeq; in vlcus, vtpotè quia à corrodente materia fiat. Spretum verò curæ tam exterius, quàm interius faciens, quia ex materia admodum maligna creatus ſit, quæ ob ſui malignitatem concoctu difficilima, & purgationi ineptisſima eſt, quia ſemper calet, & dura eſt, non poteſt nec reſolui, nec moliri, nec maturari, quia omnia hæc calida ſunt, & calidum malignumque morbum irritat: ergo quatus fons erat à membro ægro, cui Galenus 6. aphoriſmorum commento 38. animum intendens, dixit. De cancris internis curandis per ſectioné, & vſtionem; equidem ſcio omnes, qui huiuſmodi cancros curare tentarunt, magis illos irritasſe, & breui homines interemiſſe. De exterioribus autem dixit, quòd illi tantum curantur, qui in talibus partibus corporis conſtituti ſint, quas poſſumus vnà cum radicibus ſuis reſecare, & vrere. Quidam verò neque os amoliri permittunt, ſed omnino abſiſtendum conſulunt à remedijs potentibus in omni natura cancri. Sed vt melius noſtra de præſagijs oratio ab omnibus intelligatur, eam partiemur in tribus partibus, auctoritate aſſumpta ab Hippocrate in lib. de Arte, quam tripartitam ſic ſcindemus.

Dicit igitur Hippocrates, de prima morborum claſſe loquens. Medicinam eſſe morbos ab ægris in totum tollere, ſcilicet ſi ſanabiles ſint.

De ſecunda inquit, Et morborum impetus vehementes obtundere, ſ. cum inſanabiles fuerint. De tertia verò & vltima morborum claſſe ait, Et eorum qui à morbis victi ſunt, curationem non aggredi, cum in confeſſo ſit, quòd medicina tales ſanare non posſit. Cum igitur tres ſint morborum claſſes, quas diſcurremus; qui; in vnaquaque claſſe cuncti ab auctoribus erunt depicti tales deſcribamus, vt artis Tyrunculi;

quos curare, quos lenire, quos denique tergiuersare omnimode pręsciant.

Sanabiles.

Sanabiles sunt incipientes 14. Methodi, dicente Galeno, quippe quæ ex ijs componuntur vnà cum purgationibus ad sanandum incipientes cancros, magnam vim obtinent; constantius verò affirmat secundo ad Glauconem dicens: hunc morbum pro sui initia persæpe sanauimus. Albuchasis in eãdem sententiam lapsus, tractatu 2. cap. 53. dicens, quòd sanatur precipuè, quando est incipiens paruus: Auicenna verò tertia quarti capite de cura cancri, eandem sententiam retinet dicens, & fortasse sufferunt cancri parui sectionem: nam si possibile est vt destruantur cum aliquo, tunc non est possibile vt destruantur, nisi per incisionem vehementem secundo vulgarium, carcinoma in faucibus visum est, & sanus euasit.

Sanabiles sunt etiam, teste Galeno quarto suę Methodi cap. 16. hi qui humorem oberrantem habent, & non affixum, nam ait, quin potius illi opitulari videberis, si priusquam cancer loco consistat, curationem tentes: nam interdum dum humor oberrat, nec adhuc obfirmatus heret, facile est cum purgationibus educere: quam sententiam accepit à Galeno 14. methodi dicente. sin id fieri nequit, saltem cum minimo interuallo euacuare, & simul particulam firmare, ne quid humorum redundatio ad eam confluat. Hic intelligitur de principio occulto, qui est materiei tantum oberrantis, & nihil affluxe: Nam dicit, ne quid humorum redundantia ad eum confluat. At in initio cancri Auicennæ aliquid est affluxi; ergo non est verum initium, sed potius augmentum, quia & ipse, vt Galenus dixisset, particulam firmare, ne quid humorum redundantia ad eum confluat.

Ergo hic loquitur de principio occulto, non nisi à peritis Medicis cognito, qui intellectu potius, quàm sensu comprehenditur. Nam cum videmus membra generantia, aut expurgantia apta esse ad hoc, & totius complexio talis, & victus, & anni tempora, & cætera conspirare in hoc, & membro affligendo puncturæ aliquæ inferuntur, tunc iudicandum

dum est, principium adesse, qui purgationibus, & topicis roborantibus, & victu contrario cedit.

Sanantur quoque, authore Aetio 16. libro, qui emollientem curam, vel concoquentem admittit.

Sanantur quoque, eodem Authore, qui papillæ summitatem inuadunt, affectæ partis amputatione.

Sanantur quoque, qui nares, aures, labia, fęminarumque mammas, & vt ait Albuchasis loco citato, in coxa, & similibus sit, & qui denique in talibus corporis partibus siti sunt, vt vna cum radicibus resecare, & vrere possumus, vt habetur à Galeno 6. aphorismorum 38. vt etiam habetur ab Albuchasi tractatu 2. cap. 53. dicente. Dixerunt antiqui, quòd quandoque cancer est in loco vbi possibilis eius eradicatio, sicuti cancer, qui est in mamillis, aut in coxa, & eis similibus, & ex membris locatis ad extrahendum totum, eius præcipuè quando est incipiens paruus. Similiter Auerroes 7. Collectaneorum de cura apostematum ait, hæc passio sanationem non recipit, nisi à principio.

Sanantur qui hæmorroidalem, aut mēsium fluxum renouatum habent: nam quarta primi cap. 3. consuetæ fluxiones cum retentæ fuerint, & peioris ægritudinis periculum imminet, renouandæ sunt: hæ autem renouatæ sunt, ergo optimæ.

Sanantur & qui membra talia ad talem morbum generandum non habent; sed ij, qui quasi per vnam criticam tantùm expulsionem, aut bilis copiam congesserint, & expresserint; vt in aliqua prætergressa ægritudine, quæ solummodo tanta copia atri humoris creauit, & expresſit; vt cancro generando, & non sanando sit sat.

Sanantur qui ætate non congeniti sunt, idest cancri in iuuenibus.

Insanabiles sunt.

Galenus 14. Methodi dixit. Maiores sat fuerit, si prohibeamus his augeri, f. quia non sanantur. Rasis verò vt supra ait. Cum autem creuerit, semper sic permanebit qui deterior est si vlceretur: ergo si sic semper permanebit, insanabilis est. confirmat hoc Auerroes 7. Collectaneorum, vt supra dicens. Hæc passio sanationem non recipit, nisi à principio;

ſed ſi inueterabitur, incurabilis efficitur;propterea quòd, medicinæ locales ſufficientes non ſunt, & inciſio posſibilis non eſt: quia membra neruos, arterias continent: aut ſi incidatur non eſt tutum, quin corpus perdatur. Albuchaſis loco citato ait. Quando verò antiquatur, & eſt magnus, non oportet vt appropinques ei. Ego etenim non potui ſanare ex eo aliquem; neque vidi alium ante me, qui peruenerit ad illud.

Sexto Aphoriſmorum, vt ſupra, Inſanabiles ſunt, qui non poſſunt vnà cum radicibus reſecari, & vri, vt vbi magnæ venæ, arteriæ, nerui, quàm magni ſunt.

Aetius 16. lib. ait, Cancros pectori innatos deplorare oportet, quemadmodum qui in capite, collo, humeris, axillis, & inguinibus eueniunt: iſti enim inſanabiles ſunt; nam præterquam quod perfectè abſcindi, ac vri non poſſunt, verendum eſt, ne ob nimiam ſanguinis eruptionem inter ipſas manus æger occumbat.

Hippocrates in lib. Præceptionum ait, vigor ætatis omnia habet gratioſa: decrepita verò ætas, omnia vice verſa: ergo in ſenibus inſanabiles erunt.

Hippocrates de locis in homine: Antiqui morbi difficiliùs ſanantur quàm recentes, ſed hic morbus ſanatu difficilimus eſt, etſi recentisſimus ſit, ergo inueteratus omnino inſanabilis eſt.

Inſanabilitatis eius cauſa eſt: quia canceroſitati nullum ſupra ſe remedium adhuc inuentum eſt, quod idem agat, ſicuti guaiacium lignum in morbo gallico.

Mortales.

Quinto vulgarium: mulieri inabdeni carcinoma ortum eſt circa pectus, & per mammam fluebat ſanies ſubcruenta; fluxione verò huc obſtenta, mortua eſt.

Philoteus ſupra Aphoriſmum, cancros occultos, & mortales ſunt cancri interni: quoniam ſequuntur eis ſimptomata, quibus natura non valet reſiſtere, ergo moriuntur.

Item ex lib. Prædicationum vt ſupra, verum cancri occulti, & aperti ſenibus adueniunt, & commoriuntur.

Raſis vt ſupra, fortaſſe oritur in locis anhelitus, aut deglutionis, & tunc fortaſſe ad malum deducit diem, ægrumque

pletum-

plerumque interficit.

Mortales sunt denique in oculi, lingua, matrice, palato, iocinore, & splene intestinis, ob dictum Philothei, vt supra: ergo fugiendi, nec irritandi sunt ferro, nec ab igne, nec ab acribus, nec à vehementibus: quia vt ait Celsus lib.5.cap.de carcinomate: Cum interim plerique nullam vim adhibendo, qua tollere id malum tentent; sed imponendo tantum lenia medicamenta: quæ quasi blandiantur quo minus ad vltimam senectutem perueniant, non prohibeant. Confirmat etiam hoc Gal. 6.aphorismorum 37. dicens. Equidem scio omnes huiusmodi, qui cancros hoc curare tentarunt, magis illos irritasse, & breui homines interijsse.

Mortale denique carcinoma illud est, quod vlceratum est, quemadmodum nos docuit Aretheus lib. 2. de signis, & causis morborum cap.11. dicens. Vlceratus autem cancer non vlcerato improbior est odore, & doloribus, & vita, & morte: odore namque & doloribus, spiritus, & vita resoluuntur, sanguis verò iugi fluxu consummente humidum pabulum, s.caloris, in quo vita nostra consistit, extinguitur.

Ergo sanabiles attingito, insanabiles lenito, mortales aufugito: fugere etenim nos docet Hippocrates mortales morbos: quia medicina hos sanare non potest, lenire insanabiles potest: nam dixit, vehementes impetus obtundere, & sanabiles in curam accipere: non dixit morbos in totum tollere.

Ad insanabiles verò, & mortales propter charitatem opus est adire, monente Aetio 13. lib. cap.de Elephantiasi, quod humanum, & plenum beneuolentia signum est, in extremis etiam morbis vsque ad experimentum procedere. Confirmat etiam hoc Actuarius 6.suæ Methodi cap.7.dicens. Qui artem humanissimam profitentur, illos etiam decet cancrum licet omnium curatu longè difficilimum sit, experiri, quid in eo quoque vitio profligando ars ipsa valeat. At rectius dixisset Actuarius, quo supra dixit, profligando, dixisset leniendo, cum.s.mortales, aut insanabiles fuerint: Confirmatur per ipsummet ibidem, cum ait. Proinde post totius corporis ceu docuimus, curam ad partialia, & ea, quæ loco admouentur est accedendum, sed qui mitigandi, i.leniendi vi prædita sint.

Carcinomatum tres absoluimus classes, ex quarum vlla imperitis

peritis

peritis circulatoribus, nec empiricis committenda est: nam ex sanabilibus, in insanabiles, & ex insanabilibus in mortales traducent, 7. vulgarium, carcinoma vsque ad genu, offendit, & perijt: erat autem nigrum sub articulum graue olens.

Item nec rationalibus tantum, & inexpertis committendi sunt, quemadmodum clamat Hippocrates in lib. Præceptionum, dicens. Hæc sanè nosse oportet, non ratiocinationi prius probabili intentum curam aggredi, sed exercitationi cum ratione: sed rationali, expertoque Medico, quemadmodum dixit Galenus in lib. de Theriaca ad Pisonem; qui verò rationali medico fęliciter inciderit, neque tam prauis simptomatibus facile corripietur, & mortem propter illius artificium euadet: Dixit enim, Rationali, includens & experientiam cum ratione: quia 9. Methodi. Medicina rationalis his duobus cruribus recta incedit: & sic sit finis partis primæ de agnitione Cancri inscriptæ, ex qua in secunda parte curatiuam descendemus.

DE CVRATIONE CARCINOMATIS PARS SECVNDA.

De varijs topicis intentionibus curatiuis, secundum Authorum variam mentem. Cap. I.

CVM propositæ nostræ orationis scopus sit, Cancrum cognitum curare, simul & remedia ea curatiua inuenire, quandoquidem tertio Methodi cap. 1. indicatio, quæ ab ipsa rei materia primum oritur quod agendum sit, inuenit; vnde necesse est remediorum inueniendorum initium ex morborum ipsorum natura sumi; ergo cum morbus hic nihil aliud sit, quam inordinata partis afflictæ atræ bilis repletio, exemplo Galeni in arte parua capite 85. dicentis, Phlegmonem nil aliud esse, quàm sanguinis in membro afflicto repletionem, quæ euacuatione tollitur. Ergo primus scopus erit atræ bilis euacuatio. At quoniam ista repletio habet ortum ab affluxu, igitur euacuabitur repellendo. Interdum verò humoris crassities, & constrictio in membro existit, quæ discursorijs tollitur, vel scarificatione. Interdum autem durities euacuationi obstat, ideo per emollientia aufertur; interim verò malignitas opponitur, quæ maturatione aufertur: interdum verò transmutatio membri in naturam illius affluxi humoris in causa est, vt simul cum humore & membrum debeat tolli,

alioquin neque euacuatur materia, nec membrum sanatur, & hoc fit vel catharecticis, vel septicis, vel piroticis, vel ferro denique, & igne tollitur. Ecce quomodo á morbi cognitione prima indicatio, & subinde instrumenta exequentia eã in omnes morbos primæ indicationis innotescunt. Vnde dicemus, quòd siue euacuare tantum materiam cupimus, duplex est modus, vel pharmaco, vel manu: identidē dicendū est, si materiā, & membrum tollere intendimus, per pharmaca, & per manuum operationem id efficimus, sed dissident hi duo modi inter se, quia primi pharmaceuci sine horrore sunt, secundi verò horrorem faciunt: differunt quoque secundum manualem operationem: nam in primis modis parua manualis operatio fit, in secundis maxima, quia totum destruunt membrum.

Repulsio.

Primus euacuationis modus erat per repulsionem: de quo Gale. 13. Meth. dixit. Euacuatur quod impletū est, non modo digerentibus, sed & adstringentibus, & refrigerātibus: omnis enim tumor præter naturam per affluxū factus, his eget præsidijs, & modus iste appellatur repercussio, seu retrocessio, de quo Gale. etiam in Arte parua cap. 95. sic scriptis mandauit, necessarium est, vt superfluens, i. humor retrocedens euacuetur, quoniam iste morbus est immoderata partis repletio. Idem in nostrum propositum asserit 14. Methodi, dicens. Prius est præceptum, quod vel retrogerere humorem, qui in membro procubuit oportet; nam 11. Methodi, officium est, vt reprimētia in initio posita dupliciter opē ferāt: primo quòd robur in affectis partibus inferant, vnde minus promptè affluxum excrementorum in se se recipiunt, quem ritum obseruauit Gale. 14. Methodi in initio cancri dicens; particulam firmare ne quid redundantiæ ad eam confluat. Secundum officium repellentium est, quod eorum, quæ in his contenta sunt tenuissimum retrorsum exprimant: ergo in principio verò Galeni possunt administrari; quia dum oberrat, tenuis est: crassescit autem postquam effluxus est, & tunc minimè vtilis est, nisi ad augmentum coercendum. Retrocessionis modi á Galeno in Arte parua cap. iam dicto, sic describuntur. Retrocedit materia vel impulsa, vel attracta, vel transmissa, vel horum

vno

vno aliquo modorum, vel omnibus. Materia retrocedere nequit in eandem partem, à qua decessit, nisi impulsa à natura per motum, qui incipit à loco affecto, & in vicinis desinit, qui fit à facultate expultrice, & ab adstringenti pharmaco.

Pulsio etenim naturæ conuenit, sicuti transmissio medicamentis attribuitur adstringentibus, & repellentibus: tractio autem ab innanitisl partibus vicinis ad locum affectum purgatione, vel phlobotomia antecedente, quia venæ exinanitæ ad se attrahunt, & sic diuertunt. Item ligatio dolorosa, & ventosæ in diuersum trahentes, repulsionis locum implent.

Digerentia.

Secundus modus euacuationis erat per digerentia; euacuatur etenim materia postquam insederit in loco digerentibus digestio siquidem materiei est tumoris sanatio, 13. Methodi; vnde Galenus in arte parua loco iam dicto, ait. Maximè verò euacuabitur, si in spatijs intermedijs aliquid contineri, coniectura assequeris, medicaminum auxilio, quæ vim dispergendi habeant, vt.s. in vapores materia dissoluta euacuetur. Quod etiam in proposito nostro 14. Methodi dicens; vel ipsum digerere. Digestio etenim repulsionem sequitur, secundum ordinem Galeni in arte parua, cum ait prius à parte repellendum, mox digerendum esse, quia prima erat in fluxu, cui repellentia erant opportuna: secunda est affluxa, cui resoluentia debentur. Nam 13. Methodi, vt Galenus exemplificat de phlegmone, dicens, Cum sanguis in particula vehementer fuerit impactus, non est amplius repellentibus vtendum, sed tunc digerere est tempestiuum: & maximè vbi crassum, quod influxit, est. Igitur pariter cum impactus fuerit humor atrabilarius in membro, & quia crassus est, ideo non repellentibus, quia tenuissimum, vt diximus, tantum repellunt: & dum oberrat, & minimè affixum est, ergo quod affixum, & crassum erit, discutientibus se se subijcit; fit autem discussio per pharmaca moderatè calida, 13. Methodi, quia talia dolorem sedant, & quod continetur in particula digerunt, & per moderatè siccantia, quæ materiam consumunt: digestio etenim tumoris est sanatio, sicuti sedatio doloris est prohibitio augmenti. Cui competunt discutientia, & repellen-

tia, simul influens prohibeatur & influxum discutiatur.

Quòd verò requirant ad euacuationem contenti humoris in particula per resolutionem fiendam. Gal. 5. in lib. de sectis sic nos docet, dicens. Rarefacto eo, s. membro, quod continet, s. humorem: nam membrum rarius factum à calore pharmaci facilius per ampliora spiramina contentam in eo materiam difflare permittit.

Et eo quod continetur, s. humore attenuato, maiore quē reddit, siquidem crassitudo difflationi obuiat, impeditque: At attenuata materia amplior redditur exemplo Philosophorū dicentium, Ex vno pugillo aquæ extenuato, fiunt decem aeris: ergo quo magis attenuabitur humor, eo amplior reddetur, exemplo phlegmonis sangui attenuatus, formam aquæ inducit; mox tenuior factus, fumi seu vaporis consistentiam retinet: ita pariter de atra bile dicendum est, quod ad difflationem opportuna est rarefactio membri: vt quod crassum erat, & ineptum, per stricta foramina penetrare attenuatum diffletur. Amplior fit: quia sicuti densatio est materiei in minorē magnitudinem reductio: pariter attenuatio, & rarefactio est materiei in maiorem quantitatem deductio.

Et vehementius moto, mouentur autem vehementius, vel quia ceu furiositatem ex attenuatione adeptum sit: vel quia sic tenue magis naturam irritat ad eius expulsionē: vnde mouetur vehementius ab ea, & properat ad cutim, & incitat ad expulsionem ipsam naturam.

Vel aliquo attracto, s. pharmaco sua vi callente: nam quæ dispergendi vim habent, & vim moderatam euocandi habēt, & retinent: simul enim calore & attrahunt, & dissoluunt attractum.

Vel aliquo internorum impulsio, idest à vi expultrice mēbri attenuatus ille humor, & amplior redditus, & vijs latioribus factis, & attracto à vi dispergentium à natura, tanquam dispositior impellitur, & per cutim euacuatur veluti à quibusdam internis resorptus: quia resorbitur à vi dispergentiū medicamentorum calidorum, & siccorum, veluti à calore naturali id esset factum; sed non possunt medicamenta resoluentia id agere, nisi caloris naturalis obuia vis insit, à qua adiuta, pharmaca materiei digestio omnimoda fit.

Emol-

Emollientia.

Alter modus erat per emollitionem factus, nec ab re quidem; cum Rasis 7. ad Almanforem cap. 9. dicat. Cancrum durum esse apostema: ergo eius materiam duram per emollitionem euacuandam: Emollitio namque constat ex leniente: ex qua materia mollitur ex calefaciente, attenuanteque, ex quo resolutioni patetur ex siccante, vt materia consumatur: ergo iure merito 14. Methodi Gal. dixit. Earum partium, quæ iam scirrhum contraxerunt, vacuatio per iam dicta medicamenta perficitur, vocareque ea mallactica, i. emollientia media solent: quæ molliendo etiam digerere possunt. At ea digerentia moderata esse debent: cũ 2. ad Glauconem cap. de scirrho dicatur. Medicamenta vehementer dissolutiua induratis corporibus admota, manifestam faciũt scirrhi diminutionem: residuum verò passionis hoc curationis modo, incurabile redditur: tenuiori etenim ex eo dissoluto humore residuo exiccato, lapidis duritiem assequitur. Non igitur curandæ sunt partes induratæ medicamento immodicè siccante; sed cum eo, quod calorem habeat tepidum, humiditatẽ verò multam retineat, nec omninò minimam: quòd enim superfluũ humorem habet, nihil omnino dissoluit: quòd verò minimum, plusquam oporteat exsiccat. Oportet autem induratum corpus à medicamento, quod auxilio futurum sit simile, quid pati his, quæ sub Sole funduntur. Hæc Gal. Nos autem dicimus in cura multò plus humiditatis inesse debere in cancri duritie, quàm in scirrho: quia materia eius siccissima est, & calida multum, quia calida materia est; vel ex se, si à primo genio fuerit calida, vt bilis & sanguis: vel ex accidenti, vt potè ex assatione, vt in atra bile ex phlegmate, & ex melancholia.

Concoquentia.

Exemplo Galeni assumpto in libro de morborum temporibus, de inflammatione loquentis: quod vel præsidijs discutitur, vel in pus mutatur. Sic enim inflammationes soluuntur si finire debent. instituere modernorum aliqui concoquentem curam tumori canceroso, putantes materiam eam deducere ad aliquid benignitatis in suppurando cancro vsi sunt. Hinc

perdiſcere oportet: viderũt etenim materiã craſſam, valde excogitati ſunt attenuare: eam duram linire: ſiccam humectare: calidã refrigerare: crudam concoquere: malignam corrigere, vt benignitatem aliquam conſequatur putantes phlegmonis curam immitari, quæ cum nõ poteſt digeri, coquatur: etenim cancer phlegmoni asſimilatur in aliquibus. Tumet, dolet, rubet aliquantiſper, & venas conſpicuas, vt phlegmon habet: igitur imaginati ſunt ipſum concoquere.

Scarificatio:

Finitis modis pharmaceuticis, euacuare ſtuduerunt materiam pro manuale opus cũ crasſisſima ſit, & pharmacis inobediens, moti exemplo Galeni in arte parua, dicentis. Maximè verò vacuabis, ſi in ſpatijs intermedijs aliquid contineri, coniectura aſſequeris ſcrarificationum auxilio, & maximè cum id, quod in particula continetur, lentum, & craſſum fuerit, eaque ratione iam coactum, atque adſtrictum, vt cum difficultate ſolui posſit, qualis eſt atrabilarius humor, omnium crasſisſimus, & ſolidisſimus: vt per pharmaceutica, vt diximus, auxilia euacuari nequeat ſcarificationum, & ſcalpellationum auxilio euacuetur. Hæc igitur de euacuantibus materiam tantum ſit ſat.

De his, quæ materiam & membrum ſimul adimunt.

Cum his modis non ceſſerit euacuatio, Gale. 14. Methodi vult, vt vna cura membro affecto materia ſimul educatur, dicens. Quorum verò etiam locus ipſe affectus, vna quapiã naturalium partium è prima indicatio eſt, vt affectus ſanetur. Secunda ab hac, ſi inſanabilis ſit, vt vna cum vitio pars quoq; ipſa exſcindatur ſicuti in cancro, & omnibus vlceribus, quæ curationem reſpuunt.

Exciſionis autem modi ponuntur à Gale. 6. Cathageni cap. 2. duo ſcilicet, quorum alterum è medicamentis: reliquum verò manuali opere; medicamenta autem ſunt vel catherectica,

ideſt

ideſt corroſiua: vel ſeptica, ideſt putrefacientia: vel pirotica, ideſt vſtica.

Catherectica in tali caſu à Raſi 13. continentis ponuntur, dum ait. Ego poſui zagmen in radice brachij cuiuſdam, & et rodebat eam, ſ. carnem paulatim, præterquam ante excitatus eſſet cancer, abundanter ſperando, quòd ſanaret ipſum. De catharecticis autem Gal. 5. ſimplicium cap. 14. loquitur, quòd ſunt ſepticæ naturæ, nam & ipſa demolliunt carnem: verum tantulo imbecillioris naturæ ſunt, eo ꝙ extimam tantummodo carnis ſuperficiem, quam contingunt. detrahunt: non tamen in altum ſubire valent, vt aſiæ, petrę, flos.

Septica.

Septica ſunt omnia, quæ liquare carnem abſque dolore poſſunt: & profundum magis quam catherectica penetrare, vt arſenicum, & aurum pigmentum.

Pirrotica.

Pirrotica verò calida quam maximè ſunt: nam ſi in craſſa ſubſtãtia fundentur, vehementiora ſunt, & cauſtica, ideſt vrentia vocantur, & ignis inſtar corpus colliquant: & ſæpe eſcharas, hoc eſt, cruſtas ritu cauterij efficiunt, vt calchantum vſtũ: ſi verò ea vehemens caliditas in eſſentia tenui fundata fuerit, cauſticum illud exiguo cum dolore, tum carnes liquabit, tum cruſtas efficiet, vt calx, quæ à modernioribus vſurpatur.

Manualis operatio.

Ea duplex eſt, vel ligatura tantum, vel ferro, & igne fit: ſi ligatura, ea vſurpatur in cancro fungode, cui baſis ſit: admodũ ſtricta, & ſuperficies lata, cuius operatio eſt, ſtringendo opilare, vt nutrimenti, & vitæ occluſæ moriatur membrum, & decidat.

Ferro, & igne.

Alter modus eſt depictus à Galen. 6. aphoriſmorum 38 dicens. Aliam, quæ fit per ſectionem, vel vſtionẽ, quæ ſola ſunt cancrorum remedia, quæ non modo cancro non vlcerato, ſed & vlcerato conueniunt, dummodo in ſumma parte corporis

hæreat,

hæreat, vt possimus vna cum radicibus ipsis resecare, ac vrere: aut si vlcerati sint, simulque laborantes molestant, adeò vt ipsi vltro manu curari desiderent. Vtilitas istius curæ est, vt quod cancerosum est, & mutatum à cancerosa materia membrum in atræ bilis naturam, insanabile cum sit, demolliri, ac tolli desiderat: quia pristinum habitum nancisci non potest; confirmat hoc Gal. in libro de atra bile, dicens. Ego autem insanabilia esse omnia, quæ propter atram bilem exulcerata sunt affirmaui: nisi quis sanationem vocare velit, quando partem affectam orbiculatim ad sanas ac integras vsque exciderис vniuersam. De non vlcerato autem ait 2. ad Glauconem cap. de cancro. Vbi in molem insignem satis attollitur, nemo sine manus opera potuit curare. At Albuchasis talem curam accipiendam esse ait, in paruo, & incipiente cancro, tanquã tutiorem; quia non est tanta transmutationis copia membri in materiam malignam. Idem sentit Auicen. cap. de cura cancri, dicens. Et fortasse cancri parui sufferunt sectionem.

De auxilijs perficientibus iam dictos curarum modos, refellensq; eos omnes. Cap. II.

Auxilia repercussiua.

PRO cura repulsiua, describuntur ab Authoribus multa auxilia tum ex refrigerantibus tantum, tum ex refrigerantibus, & stipticis simul. Ex frigidis tantum semperuiuum cotilledon, lactuca seris psilium aquæ. s. aut succi earũ, aut vt voluit Rasis: herbæ quoque contritæ, & appositæ; ex stipticis verò cum frigiditate, oleum rosatum immaturum, vel malinum, vel ex rhibe, vel ex omphacio, vel ex labrusca factum. Gal. verò 2. ad Glauconem consulit, patienti particulæ imponendum esse succum solani; quoniam ad hoc malum medicamentum istud vtile est; quoniã vt inquit Paulus in 7. adstringit: & in secundo ordine refrigerat, & foris illitum, vlcera depascentia curat: applicationis autem eius mo-

dus

dus ab Oribasio 7. Sinopséos capit. 13. describitur, dicente. Permolle linitum in eo imbutum, & sæpe mutatum, dum arescit, medetur, sed vt humidior extra, supra madefactum in eo linteum lanam molliusculam eodem quoque succo imbutam imponit: succoque in ea continenter affluxo, sæpe irrigans, ne arescat. At Gal. ait. Si nolit ægrotans medicamento adeo humido illiniri, cum præsertim domum exit ad consueta negocia peragenda, medicamentum ex pompholige constans est, imponendum; aut ex calcidide, præsertim in vlceratis, scilicet succo illo, & rhodino liquefactum.

Ex compositis est succus plumbi descriptus à Gal. 9. simplicium cap. de plumbo, qui sic fit, in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo nouis ex se, vel abrasione innouatis, vt nullo sint alio medicamento inquinati, liquorem aliquem sub Sole, vel ad ignem infundimus, & ad nigrorem terrimus: sed nos addimus tenuissimum plumbi polinem absque vstione paratum: nam plumbum nouum accipimus lima attritum, & in ęneo mortario coniectum, pistillo ferreo calido vncto ex oleo amigdalino per sex horas conterimus, minime contundentes: non enim puluis fieret, sed lamina quē puluerem accipimus, & in mortarium plumbeum conijcimus affusa lora, vel omphacio, vel posca, vel oleo rosaceo, vel mirtino, & ad nigrorē terrimus, vt liquidi mellis consistentiam illinibilem induat. De quo succo Gale. ait. Hoc plumbi succo ad cancerosos affectus vteris virtutem medicamenti mirabere.

Habet enim id, quod 14. Method. pro repulsiuo habere debeat medicamentum, vires non validas, neque in venis sunt, & in membro tenues partes retrudat: crassas verò & melancholicas non reprimat. Item non mordet, quandoquidem vitij malignitas ab ijs, qui irritatur, ac, vt dici solet, efferatur, sed potius irritatum, & dolorificum cancrum demulcet.

Irritus est huius curationis modus, tum ex Oribasio 7. sinopseos, tum ex omnibus posterioribus Græcis, quoniam ait Oribasius à quo cæteri acceperunt cancer propter huius humoris crassitiem non sanescit, siquidem neque repelli potest: nam si respicimus ad secundam vtilitatem reprimentium positam à Gal. 11. Metho. Siquidem quod tenuissimum est tantum retrorsum exprimunt: ergo quod crassum est, tum relinquunt

quunt

quunt, tum magis indurant. Confirmat hoc 13. Methodi, dicens. Reprimentia magis valent vbi crassum, quod influxit, non est: sed hic humor crassus est, imò crassissimus: ergo minime repulsiua; hoc autem malum malignum est per Gal. 14. Metho. dicentem. Vitij malignitas, &c. ergò minimè repellendum: quia patiens posset occumbere: ergo vana repulsiuorũ cura, quam in partes internas venit, homo occumbit: nam dum extra tantum est, viuit patiens, cum vero intra repit, hominem iugulat.

Discutientia.

Cum 13. Methodi Gal. scriptum reliquerit: Si in particula humor vehementer fuerit impactus, non est amplius repellentibus vtendum; sed hunc digerere, tempestiuum est. Imponendum ergo erit, vt inquit Aetius 14. libro pro hac intentione exequenda, medicamentum Archigenis confectum ex errismi semine cum melle, vel mulsa, vel galliopsis, vel vrtica eodem modo attrita, & applicita.

Hic quoque curationis modus reprobatur ab Oribasio loco citato: quia humoris crassities resolutionem non admittit: quia scilicet potius materia ex his irritatur; & quod tenuissimum est, euacuatur, quod verò crassum est, adhuc magis induratur: & cum malignum sit vitium, à discussorijs irritatur: calida namque materia, qualis est atra bilis, à calidis discussiuis efferatur: ergò & hæc cura omnimode vana existit.

Mollientia.

Pro cura mollitiua cancri ab Aetio 16. lib. cap. 50. describuntur duo vtile esse, de quorum primo ait: si cancris non vlceratis comperies. De secundo dicit: non vlceratas impensè mitigat. Primum recip. terebintinæ, adipis taurini, medullæ vitulinæ recentis, olei rosati, ricinini, nouorum, adipis anserini recentis, mellis electi, thuris ana vnc. 1. exipi drac. 3. m.

Secundum, Recipe litargiri, adipis suilli recentis, medullæ vitulinæ, ceræ albæ ana libram vnam, olei dulcis libr. 16. vitellorum ouorum assatorum num. 12.

Nec hæc mollitiua cura valet, authore Rasi 7. ad Almásorẽ cap. 13. dicente. Cum in aliquo corporis loco durum ortum

fuerit apostema, quod neque tactu calidum sentiatur, neque sit cancer, æger à cibis abstineat, vt diximus de cancro, & curetur cum his, quæ mollificant. Hic est cancer, & caliditas: ergo nullo pacto mollientia competunt: quia 5. simpl. cap. 8. quæ ab atrabilario succo duruerunt, cancrosa sunt omnia, & ab emollientibus medicinis exasperantur: Ergò nec hæc cura prodest, imò officit.

Concoquentia.

Cum nec repelli, nec resolui, nec molliri potest, concoctionis modum tentauerunt, hoc facto cathaplasmate, implente omnes in antescripto cap. intentiones, quod recip. foliorum apij virentium, carricarum pinguium ana m. 1. radicum, & florum, & foliorum maluæ, & altheæ ana m. 2. mucoris altheæ, butiri recētis ana lib. s. fisticorum pinearum, pomorum apiorum, omnium mundatorum, florum liliorum alborum ana vnc. 3. croci scru. 1. m. & coquātur omnia in lacte ouino, & fiat emplastrum tenuissimum, & mollissimum minime contundens, aut grauans, ne irritet.

Nec hic curæ modus morbo huic conducere videtur: quia ad vlcus deducit, quod maximè vitandum est, Rasi dicente. Qui deterior est si vlceretur. hanc sententiam comprobat Aretheus loco pluries citato, dicens. Cancer vlceratus improbior est non vlcerato, fœtore, dolore, vita, & morte. Item possibilis est hæc cura: quia Oribasius in commento illius aphorismi Dum conficitur pus, &c. dicit, quòd tantum supporationi est aptus humor ille, qui aut sanguis fit, aut cum ipso commixtus fuerit: quia Galeno authore, in eundem aphorismum, pus ortum habet à sanguine, sicuti cinis à lignis: materia namq; hæc sanguini disproportionata, & ab eo multum aliena est: nam vt ait Gal. in lib. de constitutione artis, cap. 18. Omnium mitissimus sanguis, qui & dulcissimus fit, & ad concoctionem facilis, medium in simplicitate, & malignitate, reliqui duo locum obtinet: ergò in quarto impossibilis est concoctio præsertim cum non vlceratus sit, forma tumoris, & etiam impossibilis est in forma vlceris: 5. aphorismorum commento 22. dicente Gale. quæcunque ex malis vlceribus proprijs nominibus insigniuntur, veluti quæ cancerosa, chironica, telephia, & phage-

denica, ideſt carnem comedentia nominantur. Hæc omnia vlcera non ſuppurantur: Ergò fruſtramur ab hoc curæ modo.

Scarificatio.

Euacuatur vltimò materia, ſi medicamentis non ceſſerit, per manuale opus ſcarificando, ſed potius ſcalpellãdo: quia materia craſſa ab imo in profundum multum penetrat, atque reſidet: igitur ſcarificandum primò, mox ſcalpellandum eſt cutim, & carnem canceroſam vniuerſam multis, profundisq; ſectionibus ſecare oportet, humoremque pati, fluere, ſpongiaque detergere, atque modo fouere, vt ad effluxum melius pateretur materia, modo membrum ſcalpellare oportet: Fotus autem fit ex apio, malua, althea, violaria, cicoreo, ſuncho, & parietaria in aqua coquentes, & fouentes, & hoc bis, aut ter in hebdomada faciendum eſt, donec vniuerſa canceroſa materia effluat. Sed poſt fotum, & ſcalpellationem, & deterſionẽ: ſuperponatur plagis linimentum ſimplex recentisſimum, ſucco apij, & bolo armeno Orientali commixtum.

Scalpellatio autem debet fieri interpollata, & non cõtinua, dicente Hippocrate in libro de Medico: quod in Chirurgijs, quæ per ſectionem, aut vſtionem fiunt, velocitas & tarditas æqualem laudem merentur: eſt enim vtriuſque vſus: nam in quibus vnicam ſectionem chirurgia abſoluitur, velocem diſſectionem facere oportet: cum enim contingat eos, qui ſecãtur dolere: nam id, quod dolorem affert: quia in minimo tempore adeſſe conuenit, quod ipſum contingit, veloci ſectione facta; Vbi verò multas ſectiones fieri neceſſe eſt, tarda chirurgia vtendum eſt; velox enim continuum & multum dolorem inducit: tardus verò, & intermittens requiem aliquam his, qui curantur, exhibet.

Haud quaquam iſte curæ modus laudandus eſt: quia Gale. ait in arte parua; Si ſcarificationibus, aut ſectionibus ſenſibiliter euacuabimus, plus ratione excitati doloris attrahemus: ergò malè: quia Celſus cap. de carcinomate, ait; Sæpe homo ictus tantum obmuteſcit, atque eius anima deficit; quanto magis in pluribus ictibus latis, & profundis, cum multo, & longo

longo dolore, & sanguinis fluore anima fortius, & celerius deficiet: Ergò & ab hoc curæ modo frustramur.

Consumentes materiam, & membrum simul.

Fit autem cõsumptio materiæ simul cum membro, vel per medicamenta, vel per manuum opus: & quædam sunt, quæ vlceratis: & quædam quæ non vlceratis conducunt. Vlceratis etenim erodentia competunt: non vlceratis verò excarotica: vtriusque autem septica. Corrodentia sunt ista. Recipe eruginis æris, ferri, squammę æris vsti ana drach. 2. fiant trocisci cum sapa, vel ex aceto distillato dissoluantur pulueres, & fiat aqua: prius inspergantur pulueres, & super carnem detrahendam: postea plagulæ, & petię ex aqua iam dicta madidæ superapplicentur: & hoc toties repetatur, quoties vniuersa cancrosa caro sublata sit. At si quis in dolorifico, & mitiore pharmaco vti velit, ponatur præsens, quod recipit cariei lignorum ossis sepię ana vnc. 1. punicis vnc. 2. tritissimo hoc vtatur puluere: vel hoc, quod recipit antimonij librã vnã, ponatur in crucibulo ad infundendum: quo fuso, & in patinã conie&o, iterum funde postæ terræ cum drac. 6. salis nitri cõtriti, & tartari albi drac. 3. postquam contriueris, pone in paropside semicocta, & ad ignem nibefacta, & pone puluerem eũ in ipsam, & coque, dum fumus euanescat, & fracto vase, collige grana antimonii alba, vt argentum: quibus contritis fiet puluis rubeus, qui cum rosacea ter contritus & siccatus, erit malignorum vlcerum corrosiuus, & sanatiuus absque morsu. Zangen, zinge, ziniar, idest ærugo æris.

Vel fiat lapis sarcophagus artificialis hoc pacto, videlicet. Accipiatur lapidis alabastrini vel pumicis, vel marmoris calcinati libram vnam, qui aspergatur aceto acerrimo albo decies in die sub Sole ardenti per quindecim diebus, postea iterum madefiat ex aceto, & conteratur cum sale albissimo, & Soli exsiccetur per quindecim dies: & postea siccetur optimè, & in tenuissimum puluerem redigatur, & per filamenta applicetur.

Septicum est hoc, quod recipit pulueris arsenici realgaris, auripigmenti, aquæ rosatæ, & croceatæ q. s. fiant trocisci, qui

X 2 pulue-

puluerizati vſurpentur ſuper filamenta, vel ſuper marmorem
in loco humido poſiti diſſoluantur in aqua, & per filamenta
applicentur: circunſtantia ſemper reddendo immunia per pe
tiam in linimento ſimplici tinctam.

Vel fiat iſta aqua, calcinetur arſenium per ſex horas in fur-
no panis,in fictili lutato: poſtea ponatur in cella vinaria hu-
mida ad diſtillandum per filtrum; ex hac enim aqua duplex
eſt vſus: vel per fila madida,vel per commixtionem eius in li-
nimento ſimplici, & tunc deſtruit carnem ſine dolore.

Alij antimonium, & aurum pigmentum calcinatum acci-
piunt,& ſuper marmorem poſitis,in aquam ſoluunt in loco hu
mido, & ex ea aqua carnem deſtruunt.

Pirrotica ſunt hæc. Recipe calchanti vſti, ſalis nitri, calcis
viuæ recentisſimæ, ſtercoris colombini, omnium pulueriza-
torum ana drac. 1. fiant trociſci cum decocto ſinapis: vel fiat
aqua per alembicum, vel per inclinationem in loco humido.

Vel fiat hoc,quod recipit marcheſitæ, ideſt lapidis pirrithi
dis ſepties cimẽtatæ cum ſtrato ſuper ſtratum ipſius marche-
ſitæ,groſſo modo attritæ,& calcis viuæ: ſed in ſingula cimen-
tatione ſemper calcem innouato: quam poſtea marcheſitam
conteres, & aceto quàmacerrimo commiſce in ampulla vitri,
& gutta vna illius luti ſuperpoſita loco vſtibili faciet cruſtam,
vt ignis dolore.

Sed ſi ad fortisſima, vt quidam Modernorum dicunt,cupis
accedere, hæc duo ſunt in extremo fortia, Recipe mercurij
ſublimati cum calchanto, & ſale communi libram vnam; ſa
lis armoniaci decies ſublimati tantundem, & ambo ſimul te-
re,& ſparge ſuper marmorem in loco frigido, & humido, vt
ſaluatur in aquam, quam vaſe vitri ligato, ſeruabis: ex qua, ſi
gutta cadat ſuper manum,ſtatim perforet eam: ſi verò aliquo
demulcente ipſam cõmiſcueris,mala vlcera ſanabit,quod ma
lum eſt tollendo.

Vel accipe tartari albi calcinati,& funde ſuper ipſum de op
tima aqua ardenti chimiſtarum,& diſtilla; & primò exibit a-
qua ardens debilitata, quam ſeparatim collige, & multoties
ſic facito, ſupponendo nouam, cum tollis primam: Aduertas
autem, quòd optima requiruntur vaſa crasſi vitri, & plura:
quia multoties ex maxima vi, frangit vas:nam quanto pluries

innouabitur aqua super ipsum; tanto acutius,& ardentius fiet tartarum: postea tere ipsum, & super marmorem pone, vt sol uatur in aquam, quum crasso, & forti vase vitri, cum sale armoniaco pone, & subito sigilla, ne expiret virtus eius: si verò fortius adhuc facere vis, commisce hanc aquam cum suprascripta aqua mercurij sublimati,&fiet ignis,omnes alios ignes superans.

Valet in hoc oleum calcis viuæ, oleum sulphuris, oleũ calchanti capitellum,vel in forma salis, vel in forma aquæ, vel aqua fortis chimistarum, modo crustas ex prædictis inducendo, modo butiro, vt relaxentur pro curando, secundum doctrinam Auicennæ cap.de cura gangrenæ, dicente. Cumque feceris cadere,idest vrere ordinem vnum, succurre cum butiro ponendo desuper: deinde fac cadere, idest vrere secũdum, donec perueniat ad carnem sanam; & hæc de pharmaceutica.

Manualia.

Ea sunt duo,vel ligatura mortificans in cancro fungode, ligando cum scirrhico strictè valde,apud radicem ipsius,donec nigrescat totum id, quod supereminet, sensu, vitaque priuetur, & postea cadat,deinde vratur radix eius aliquo pirrotico ex iam dictis,& detrahatur crusta:qua detracta,cauitas repleatur, & sigilletur postea.

Secundus modus demollitionis cancrosi membri, & materiæ simul est, per ferrum, & ignem: nam 7. aphorismorum in fine. Quæ mala non sanat medicamenta, ea ferrum,quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat: quæ ignis non sanat,ea omnia insanabilia esse putato: ergo tanquam ad sacram anchoram antiquiores ad hunc curæ modum peruenere. Ad quod exequendum imitabimur Aetium 16. lib. tum in manuali operæ faciundo,tum patrato opere: quia cæteris omnibus alijs, longè vberior in hac re, clariorque est.

Dicit igitur Aetius 16.lib.Egram supinam statuo,deinde vltra cancrum, mamillam incido, & incisum cauterijs suburo quousque crusta inducta sit: Cauteriorum autem ignitionem statutam non posuit: sed ab Authore Introductorij cap. 16.eã accipiemus, simul cum alio modo exemptionis membri cancerosi.

cerosi. Dicit igitur, carcinomata in multis corporis partibus, maximeque fœminarum mammis, oriuntur. Præcindimus vbicunque fuerint, & ferramentis perurimus, non admodum candentibus, seu ignitis.

Non desunt, qui rasoris, ferramentis ignitis simul seccantibus, & adurentibus vtuntur. Sed cur non valdè ignitis ferramentis vtitur is Author? Respondit Galen. 2. ad Glauconem: quia propè loca mortalia sunt, vt mamilla, est periculosa, est insignis, idest candens adustio: quia cordi communicat; subdito ergo, non admodum ignitis vtendum est. Sequitur Aetius, dicens. Ex crusta sanguinis eruptio detinetur, postea iterum incidimus, profundiusque petimus, ac suburimus, id repetentes toties; donec tota mamilla auferatur; qua detracta, radices vsque ad crustam patratam inurimus, antea sanguinem à venis exprimentes, & fluere patientes; Vnum adnotantes, quod primæ vstiones, quæ sequuntur inci siones, pro sanguine sistendo exhibētur, & ideo non omnimodam crustā habent: postremę verò ad morbi reliquias abolendas, ad perfectam crustam fieri debent.

Vel, vt Albucasis vult, fiat circulus ferreus & igniatur, vt sani aliquid accipiat, & vsque ad os pertineat & vrat, & per triduū sic stetur sensum & vitam amittat postea totam, vel si non possit circundari vbique pluribus vstionibus circundetur, & tollatur.

Cura post incisionem, & vstionem.

Patrato opere, inquit Aetius: locus cataplasmandus est ex plantagine, vel polligono, vel sessamo trito, interdum medulla panis addita, vt dolori, & inflammationi succurratur. Extra autem lintheum, aqua madidum: nos autem loco aquę communis, aquam ex virga aurea distillatam, apponendam iubemus.

Sublata inflammatione, occasio instat, vt crustas ex cauterijs obortas auferamus, quod commodè exequitur Aetius ex medicamento ex lacte, & melle confecto, & per linamenta applicito secunda, aut tertia die soluatur medicamentum aqua tepida, s. virgæ aureæ locum fouendo, & lenticulam elixam

cum minima mellis portiuncula tritam illinimus: exigua sit mellis portio irritationem ab ea formidantes: deinde folijs vitis, aut lactucæ exterius applicitis congruo ligamento ligãdas præcipit: neque ab ijs abstinendum esse quousque crustæ decesserint.

Aegram in calido concludens thalamo, etenim omnis refrigeratio infesta est: & eò præcipuè tempore, quo vlcera repurgantur: nam tunc potissimè ex frigore conuulsionis immi-net periculum.

Postea linamenta imponimus, atque in ijs tum acria, tum pinguia medicamenta euitamus: vtraque enim morbum reducunt; propterea consueuit muliebri, aut asinino lacte rosaceum admiscere, & linamentum in eo tepidum madefacere & applicare.

At pro linamentorum custodia, lintheum leue, simplexque eodem lacte madidum ligare oportet. Plurimũ enim lintheorum pondus in hoc affectu molestum est. In suppurationis quidem tempore, rosaceum sufficit. Dum verò purgamus, hoc excellere oportet.

Quòd si res vrgeat cataplasma exterius ex melliloto cũ rosaceo, & aqua, aut muliebri lacte, applicetur: nam ceromata, & nimis elaborata cataplasmata huiusmodi morbis infesta sunt.

At si copiam arrido indigueris, cinerem pompholigis exquisitissimè lotum, ac tritum, aut cadmiam ter vstam, & rosaceo extinctam, lotamque, ac arefactam applicato.

Ex vnguentis verò 15. lib. cap. 14. laudantur ab ipsomet Aetio duo: quorum primum est, ex cortice radicum altheæ: de quo sic ait. Cancros non vlceratos mitigat, imminentemq; rosionem prohibet, vlcera præcipuè pudendorum, & testium purgat, & incarnat: & si absque erugine conficiatur, serpentia vlcera reprimit. De eo verò ex floribus altheæ, ait. Prior vtilius est, ac magis dolores mitigat.

Primum recipit colophoniæ, pro qua, nos terebintinæ lotæ in aqua virgæ aureæ ponimus lib. 2. ceræ vnc. 4. olei ſ. rosacei completi eruginis, pro qua imponimus cariei lignorum ana vnc. 2. ſucci radicum altheæ drac. 20. Succus autẽ fit hoc

pacto

pacto. Accipiuntur radices altheæ tenellæ detracto cortice herba vigente, qui in pila contunditur, & in æneum, seu fictile vas translatum, vino albo, & vetusto odorato adstringente respergito: ita vt tantum humescat; deinde operito, ac tribus diebus permittito, quarta die in pilam rursus contundito, succumque torculari præssorio exprimito, & cum cæteris liquefactis coquito.

Ex floribus autem altheæ sic fit: flores rosis assimilati accipiuntur, & exemptis vnguibus, tunduntur, & ad vltimam minutiem rediguntur, quorum summuntur drac. 12. colophoniæ, vel terebintinæ drac. 36. ceræ drach. 6. olei .ſ. rosati completi vnc. 2. omnia simul contunduntur, & colliquantur, atque coquuntur: his duobus per filamenta vtemur intus; extra autem splenium ex linimento simplici tantum superponemus.

Sequitur Aetius, dicens. Medicationis autem tempore à vino, & à cibis coctu difficilibus, & à frigidæ aquæ potu, abstinendum est, & dum vlcus ad cicatricem ducitur, diligenter studebimus, & totius corporis habitus firmetur, & bono succo impleatur, quod laudabilius alimentis, ac exercitijs, gestationibus, ac reliquis huiusmodi reficiendo corpore idoneis fieri oportet.

Vltima hæc quoque cura, iudicio nostro, insulsa quoq; est, quamuis Galeno authore in eo aphorismo Cācros occultos, &c. incisio, & vstio dicantur sola esse cancrorum remedia. At nos prospicientes ad ea, quæ 14. Methodi à Galeno dicuntur, insulsam hanc curam pronunciamus: quia vitium hoc iterum reuiuiscit. Vnde coactus fuit dicere Galenus, Prospiciens, ne qui iam curati sunt, iterum reuertantur. eiusdem opinionis fuit Auicenna, cap. de cancro, dicens: & iam narrauit mihi quidam primorum, quod Medicus quidam incisit mamillam cancerosam radicitus, & cancerata est altera Item Albuchasis tract. 2. cap, 53. detestatur hunc curæ modum, dicens. Quando verò antiquatur, & est magnus, non oportet vt approximes ei, s. cum ferro, & igne: ego enim non potui sanare ex eis aliquem, nec aliquem vidi ante, nec qui perueniret ad illud.

Sed quid clarius haberi potest, quàm Celsi testimonium, dicentis. Quidam vsi sunt medicamentis adurentibus, quidam

ferro aduxerunt, quidam ſcalpello exciderunt: neque vlli vnquam medicina profuit, ſed aduſta protinus cōcitata ſunt, & increuerunt donec occiderent. Exciſa etiam poſt inductam cicatricem, tamen reuerſi ſunt, & mortis cauſam attulerunt.

Hæc ille. At nos bis vidimus, cum olim excellentisſimo Pręceptore noſtro Ioanne Antonio Plato Leonico, Chirurgorum ſua tempeſtate optimo, nobilem quandam mulierem, cui abſcindimus mamillam, & poſt biennium, à centum maximis thimis inguina opprimentibus, tentata, & mortua fuit. Item abſtulimus labium inferius cuiuſdam Reuerendi Patris, Ordinis Diui Antonij Confeſſoris; cui poſt annum cum dimidio, cancer inſurrexit in ſplene, & perijt.

Vltimum præceptum erat, vt ſi non ſanes, ſaltim cubantem non lędas, ſed in his omnibus iam dictis modis curarum non ſanamus, ſed lædimus: quia ad vlcus non vlceratum cancrum deducimus: quod graue peccatum eſt ſecundum omnes Authores, vt prædiximus.

Poteſt addi, vt ſupra dictum eſt, quòd ſi ſanes, quod amplius non reuertatur: facilis eſt enim ſanatio, ſi ſanationis nomen meretur, ea, quæ ſectione fit; ſed poſt eius ſanationem reuertitur: Ergò vana & irrita eſt omnis cura iam dicta.

Poſtquam ſingulas curas ſigillatim refellimus, reliquum eſt, vt vnica auctoritate Galeni 14. Methodi poſita; omnes ſimul refellamus. Ait enim. Quòd ad veram curationem attinet, vt curandi adſit breuitas, quæ maximè in cancro requiritur: Nam is morbus, prima medicamentorum impoſitione quieſcit: mox vlterius eis vtentes inualeſcit, atque iratus inſurgit: Ergò vana erunt repellentia, & diſcutientia, & mollientia, & concoquentia, quæ longum temporis tractū perdurant: deinde ait, quòd in dolorifice tractandus eſt locus affectus: Ergò vana erit ſcarificatio, eroſio, putrefactio, & vſtio per medicamenta, & ligatura, & ferrum, & ignis: quia hæc dolorifica ſunt, & morbum irritant, & reducunt. Item opus eſt, vt ſit tuta curandi ratio, nulla iſtarum eſt tuta: quia humoris craſſities, ſiccitas, malitia, ac duricies, & ineptitas ad cōcoctionem à pharmacis id efficientibus irritatur, & ad peius deducitur; vnde finem operis vnquam conſequimur, ſimul atque cuban-

tem lædimus vel irritando, vel vlcerando, vel fluxiones acercendo: ergo vitium hoc non sanatur, sed ab his læditur: ergo insanabilis omnino manet propter materiei malã qualitatem depictam à Gale. in libro de constitutione artis c. 8. dicente. Perniciosissimus succus est atra bilis cùm alijs præualuerit, vtpotè quæ præ cæteris & corrodat, & maligna admodum sit, concoctuque difficillima, & ad purgandum ineptissima, atq; etiam plurimum indicet calorem, à quo sit per assationem genita, s. crassitudinem, & siccitatem in humore illo inducens, vt nullis topicis, nec internis pharmacis cedat. Reliquum igitur est iam dictis curis vti volentibus, quòd præcedat purgatio: quia per hãc illicò humor euacuatur, & prohibetur ne accurrat ad locum: & sanguinis purificatio ab infectione humorum alienorum ab eo fit, & prohibetur augmentum mali, & ne cadat in vlcus, & prohibetur dolor, dummodo fiat secundum præceptum Gal. 14. Metho. vt in c. proprio habebitur.

Quòd nulli prædicti modi nec dicendi quoque citra corporis purgationem exerceri possint. Cap. III.

Repulsio citra corporis purgationẽ exerceri nequit. teste Gal. in arte parua dicente. Si in eo elaborantibus, vt quod influxit retro cedat corpus plenum non admittet; quoniã exinanita loca, & nõ plena ad se trahunt quæcunque repercutiuntur: ergo non possunt citra corporis purgationem administrari. Confirmat autem hoc in casu nostro Gal. 14. Metho. dicens: Post namque purgationem illud de omnibus eiusmodi affectibus prius est præceptum, quod vel retrogerere humorem, qui in mẽbro procubuit, oportet.

Resolutio sine corporis innatritione fieri impossibile est: dicente Gal. in arte parua, vt supra. Si igitur vniuersum corpus

pus plus æquo plenum fuerit, per patientem locum minimè euacuandum est: quia si calefacientibus dispergere tentabimus, plus erit quod in caloris ad partem attrahetur, quàm dispersum. Confirmatur 13. Metho. digerentia medicamenta vbi redundantia in corpore subest, si particulis quibusdam applicentur, implere potius, quàm educere valent, tum in reliquis morbis, tum phlegmonas sicubi curas, nullo euaporante auxilio prius vteris, quàm totum corpus purgaueris: Idem sentit 14. Metho. in cancro, quòd post purgationem ipsum digerere oportet.

Mollitio administrari nequit ante corporis exonerationē, teste Auicen. cap. de cura scyrrhi, dicente. Oportet vt curetur illud, cui est sensus, & vt sit incisio, s. materiei grossæ per sirupos; post, fac mundificationem corporis cum eo, quod educit humorem facientem ægritudinem: & super illud impone quod resoluit, & lenit. Deinde 9. simplicium cap. 8. cancer irritatur ab emollientibus irritatio facit affluxum, & impedit curam morbi: quod ita non faceret, si præpurgatum esset corpus. Obijceret aliquis ex monitu Rasi tract. 2. ad Almansorem, cap. 13. quòd post topica, ait. Si autem locus, in quo est, non sanatur, studendū est, vt materia ab eo transponatur per phlobotomiam, & ventris solutionem ex ijs, quæ choleram nigram expellunt, ne augeatur apostema: ergo anteponit topica purgationi. Ad hoc respondendū est, quòd Auicenna loquitur de scirrho per affluxum, cui competunt purgantia ante topica. Rasis loquitur de illo per commutationem facto, cui competunt topica ante purgationem: quia dum erat phlegmon, præpurgatum erat corpus: at cum in scirrhum degenerauerit, mollitiua fuerunt exhibita illi morbo, s. duro: sed adueniente nouo affluxu, post mollientium applicationem, purgatione vti coactus fuit.

Maturatio præsupponit purgationem: quia quo plus materiei maturandæ accersit, eò diutius tumor ille maturabitur: deinde cancri materia à talibus medicamentis irritatur, & dolorem, & fluxionem exercet, & malum auget: ergò vt euitentur hæc, præpurgandum est cacochimo maximè existente corpore natura subleuatur, & à topico adiuuatur.

Ante chirurgiam, vel pharmaca dolorifica: quia omnia ista

dolorem incutiunt,& dolor in fluxiones mouet:ergo prępurgandum est. nam 14.Metho. Si quando cancrum per chirurgiam curare audebis. cępisse quidem ab euacuando per purgationem humore melancholico, quod ante pharmaca corrosiua debeat purgari; exemplum habemus, Auerrois 7.colliget dicentis. Sed cancerositates multoties euacuari debent, ex humore ipsas generante: demum ponit medicinas exiccantes sine mordificatione:& meminit de incisione,& de corrosiuis: ergo alludit & ipse huic sententiæ. Item quando etiā est vlcus ante topica, debet præpurgari. teste Aetio 16.libro, dicente. Quandoquidem sæpissime diximus ante cuiusque malefici vlceris medicationem, vniuersum corpus curare oportet: deinde localia præsidia admouere; & hanc sententiā vsurpat in cancro non vlcerato etiam: ergo præpurgandum in omnibus modis,& vijs prædictis. At vt purgatio omnibus numeris absoluta sit, insequemur mentem Gal.14.Metho.

Quod dicendis curis competat, dum eas describemus, enarrabimus.

De triplici intentione seruanda pro purgatione instituenda. Cap. IIII.

TRes describuntur intentiones, quas seruare oportet eum, qui probè purgaturus sit cancri materiam à Gal.14.Metho.

Quarum prima est, vt humorem, vnde hoc vitium nascitur, illicò euacuet. Simili euacuationis genere ei, quę in alijs tumoribus præter naturam supra comprehensum est.

Secunda ab hac est prohibere potissimum, si fieri potest, ne de cætero huiusmodi humor colligatur.

Tertia, sin id fieri nequit, saltim ex interuallo eum omnino euacuare necesse est.

Ex prima tollitur humorum quantitas: ex secunda prohibetur eius regeneratio: ex tertia humorum qualitas aufertur: Ergò omnibus numeris respondet.

Declaratur quæ & quot sint à Galeno supra comprehensa euacuationes. Cap. V.

IN eodem 14. Methodi, dum priapismi curam describit, dicit si quidem principium ambobus affectibus commune est, nempe totum prius corpus euacuare, modi id capax vacuationis sit. Dictũ verò à nobis sæpe est, de euacuantium auxiliorum facultate, quod ea sunt missio sanguinis, & purgatio: tum per ea, quæ subter expellunt; tum per ea quæ supra, siue ea vomitoria dicere mauis. Præterea multa frictio, & omnis dimotio. Itemque balneum potissimum quod ex aquis fit digerentibus: sed & acria medicamenta illita per habitum digerunt. Omnia denique, vt vno verbo dicam, quæ calefaciant, & siccent, ex accidenti ẽt euacuare iudicauimus, ex cibi abstinentia, potissimum vbi ambiens calet: ergò quicquid horum sustinere cubans aptissimè poterit, ex hoc vacuandus est.

Quæ ex illis tot euacuationibus respondeant ad illas tres. Cap. VI.

INCIPIEMVS ordine retrogrado quærere, quænam ex tot euacuationibus illis tribus respondeant. Ab vltima incipientes, & in primam definentes.

Non cibi abstinentia competit: quia vt ait Gale. de venæ sectione, sanguis ciborum inopia arescit, ac densior se ipso redditur. Deinde ex ciborum abstinentia ait Hippoc. in lib. de Dieta; quòd debile fit corpus, & morbi inualescunt: cum autem morbus corpori præualuerit, talem iam incurabilem effectum esse dicito: fames enim, vt ait Hippoc. de veteri medicina, magnam potentiam

in na-

in natura hominis habet sanandi, si apposita sit; debilitandi si excedens fuerit; occidendi denique si immoderata valde fuerit: nam 4. de tuenda, vt largior nutritio nocet: sic abstinentia omnimoda nauseam inducit, ventriculum lædit, vires resoluit, prauumque succum accumulat, & eo magis æstiuo tempore facta: quia & ab ambiente, & ab inedia corpus resoluitur: ergò ea instituatur victus ratio, quæ morbosæ materiæ minimè generatrix sit, vt secunda intentio Galeni impleatur, vt infra dicetur. Est enim genus euacuationis, prohibitio regenerationis.

Non inunctiones aeris, balnea, diaphoritica, nec frictio multa: quia hæc humidum dissipant, & sanguinem incrassãt, & corpus attenuant: sed potius conferunt frictiones leuissimæ, & balnea lenientia aquæ dulcis, vel lactis, & cætera huiusmodi.

Nec immodica exercitia: quia vt Gale. ait. In consilio de puero epileptico, exercitatio modum excedens, corpus colliquat: Ergò minime opportuna.

Non vomitus: quia Gal. in lib. Quos, & quibus, &c. dixit. Melancholicum humorem semper per inferiora euacuandum esse.

Ex tot inuenimus vnam: reliquum est, vt duas alias inueniamus, an ea sit purgatio, quæ subter fit? Respondetur. Maximè. Nam in tertia intentione dixit; saltem ex interuallo cum omnino euacuatur.

Primæ autem intentioni, respondet missio sanguinis: quia dixit. Illico vacues. ergò.

Igitur primò phlobotomandum, vt quantitatem tollamus, Secundò, victu contrario regenerationem humoris prohibere oportet. Tertiò gignitum humorem euacuare oportet per pharmacum solutiuum.

Serapio. 5. breuiarij capit. 25. dicit, Oportet vt statim euacuemus humorem grauantem ægritudinem, sicuti est euacuatio sanguinis.

Primam intentionem declarans. Cap. VII.

PRIMA Galeni intentio erat, vt humorem, vnde hoc vitium naſcitur, illico euacuemus: diximusque per euacuationem in hoc caſu debere intelligi phlobotomiam: nam mens Galeni erat, materiei quantitatem, per ipſam euacuare, & ideo dixit, Illico, quia cæteræ euacuationes, non illico opus ſuum exercent: ſecta enim vena, ſtatim ſanguinis quantitas educitur, quæ in manibus noſtris eſt: nam quantum volumus, illicò euacuamus.

Albuchaſis in tract.2. cap.53. dicens. Phlobotoma ipſum ſi iuuenis cum repletione manifeſta. At cum Gal. authore 2. ad Glauconem, ſanguis niger, & craſſus in his corporibus maximè abundat: ergò quatenus ſanguis phlobotometur, quatenus niger, & craſſus: quia malus eſt, ſubinde ſoluatur. In hanc eandem ſententiam cucurrit Auicenna quarta primi capit.20.dicens. Ille præterea, in quo atra bilis ſuperat, nihil offendetur, ſi vena ei ſcindatur, & poſtea purgatione euacuetur. Confirmat hoc Gal. 3.de loc.affect. cap.de melancholia, dicens. Si quidem vniuerſum corpus ſanguinem melancholicum continet, curationem à venæ ſectione auſpicare oportet. Quòd autem vniuerſum contineat hunc humorem in cācro, 2.ad Glauc.dicit Gal. In hoc verò corpore, turbidus fit, ac craſſeſcit is, qui in venis continetur ſanguis: ergo phlobotomandus; quia eodem libro de cura cancri, ea vtitur, dicens. In cancris verò non inutile eſt, vbi nihil prohibet ſanguinem mittere, aut menſtrua euocare.

Dixit, Illicò, euacuare, quod refertur ad duo; primum ad humorem in ſanguinea maſſa collectum, ac oberrantem, & non affixum membro, cui debetur phlobotomia. Secundò illud, illico, refertur ad celerem euacuationem, qualis eſt ex phlobotomia: quo celerior nulla exiſtit. Nullum etenim intercedit temporis ſpatium, vt in cæteris alijs: ergò phlobotometur, & illicò antequam ſecernatur à maſſa ſanguinea, & affigatur

figatur membro. Dixit illicò, euacuare humorem, vnde vitium nascitur, non vnde vitium natum est: referens illud [illico] ad morbi euentum, quia occasio præceps: est enim velocis additionis.

Quo morbi tempore, hæc sanguinis missio fienda sit, edocet Rasis 7. ad Almansorem cap. 9. dicens. Huic verò, cum incipit, confert phlobotomia: nos autem dicimus, quòd istud initium duplex est, vel Galeni, vel Auicennę, vt iam diximus. In vtroque valet; in primò, quia non finit affigi membro. Secundò, quia tanta non affigitur.

Quo anni tempore. Hippoc. in lib. de natura hominis, ait. In vere sanguis plurimus: nam eo tempore potissimum gignitur: ergò eo tempore potissimum phlobotomari debet. In autumno etenim paucissimus est sanguis, & in cæteris anni temporibus, humores alieni à sanguine abundant, quos potius purgare, quàm per venæ sectionem euacuare oportet.

An semper, vel frequenter phlobotomandum sit? Respondendum, quòd non semper: quia nec sæpe Gal. in lib. de scarificatione, dicit. Sæpius in anno venam incidere, haud expedire arbitror, cùm vna cum sanguine vitalis exhauriatur spiritus.

An sint aliæ viæ mittendi sanguinem, præter venæ scissionem? Areteus 1. de diuturnis passionibus cap. 5. de melancholia loquens, ait. Verum si à cohercitis mulierum mensibus, aut virorum hemorroidibus morbus creatus sit, irritādi sunt loci, & aliquid soliti excrementi profundendum. Si verò cunctatur, neque descendit, vtpotè quia in aliam quampiam partem sanguis prolapsus sit, & morbus exacerbatur, euacuatio fienda est à thalis incipiendum: quòd si nō quantum satis est sanguinis inde manauerit, cubiti quoque venæ secentur. At quarto de tuenda, & in lib. de scarificatione, crurium scarificatio, & hirundinū applicatio phlobotomiæ vicariæ sunt.

Quo loci mittendus sanguis sit? Rasis ex vena media mitti voluit. At nos dicimus, ex 4. Metho. Incipientem fluxionem ad contrariam, & longinquam, extrahendam esse: ergo, vel à vena oppositi brachij, vel pedis è directo morbi existendis fiendam esse putamus: Iecorariam. s. si iecur in causa est: splenitica si splen. Sequitur Gal. dicens. Fixam verò iam in labo-

tante

tante particula vacuandam esse, s. per scarificationem, quam superius negleximus. At si partim fluat, & partim fluxa sit ab ipsa particula vicina, & quæ affigitur, deriuatio fiat, vt à brachio eiusdem lateris. Vlterius si cohercitis mensibus cancer factus sit, venas interioris thali secare oportet. Sin ab hemorrhoidibus id euenerit, exteriorum thalorum venam secabis, ex præcepto Gal. in lib. de missione sanguinis.

An multa, an pauca quantitas sanguinis sit tollenda? Respondetur, quòd id nanciscitur à pensitatis viribus infirmi; ab ætate, ab anni tempore, ab accidentium sæuitia, à cacochimia multa, vel exigua, vt præsenti Medico videbitur.

An prius sit phlobotomandum, an purgandum? Albuchasis tract. 2. cap. de cura cancri, vult, in primis esse purgandum, mox phlobotomandum, dicens; Et operatio in eo quando est locatus. Dixit, locatus: quia tunc quando humor ille ater nō amplius oberrat per vniuersum, sed adstrictus est in loco, tunc crassior fit, & extenuantibus, & humectantibus, & refrigerantibus simul, eget pro concoquente: & postea atrabilarij succi de eiectione, vt subinde fælicior fiat phlobotomia, secundum opinionem Albuchasis, sicuti diximus, est, vt præcedas, & soluas infirmum ex cholera nigra aliquoties, deinde phlobotoma ipsum, si iuuenis sit cum repletione manifesta. Quod nulli ex Græcis, ex Arabibus, aut ex Latinis sensere: nam sibi ipsi contradicit, purgat in primis cacochimia exigua, cum deberet è contra facere, mox phlobotomat; quod hoc sit verum, ait. Cum repletione manifesta. sed in tali repletione competit phlobotomia, & non purgatio: Ergò falsa est tanti viri sententia: nam si Auicenna quarta primi vt diximus, in quo atrabilis superat, venam prius scindit, & postea purgat: quanto magis præpollente sanguine id fieri debet? deinde 3. de locis affect. vt diximus, Si vniuersum corpus sanguinem melancholicum continet, curationem à venæ sectione auspicari oportet: ergò dicemus subinde purgare debere, quod exequitur 2. ad Glauc. cap. de cura cancri, vbi dixit: Sanguinem mittere, demum purgare.

Secunda intentio Galeni erat, prohibere potissimum, si fieri potest, ne humor hic amplius colligatur in venis: non enim sufficit quantitatem eius humoris, sanguinis missione esse

adeptam, quia cibi natura tales generat morbos; contrarij verò soluunt, & præcedens victus ratio 14. Methodi declarat humorem: ergo cum homines delinquunt in victu: quia vt ait Hippoc. in lib. de catharcticis. Homines, qui rectè cibo vtuntur, sani sunt; qui verò non rectè eis vtuntur, ægrotant: igitur cum in cibis tum quantitas, tum qualitas expenditur, idcirco diximus, demere debere de cibis, vt quantitati respiciamus, corrigereque oportet, qualitatem intuentes. Vnde Auicenna secunda primi, doctr. 2. cap. 15. ait. Cibus operatur tribus modis, aut sua qualitate, vt piper calefaciendo, lactuca refrigerando. Aut materia vt sanguis frigidus à frigidis, calidus à calidis fit.

A tota substantia, vt peonia ad epilepsiam. Cum igitur materia hæc calida, & sicca sit, corrigere eam oportet per cibaria frigida, & humida, qualis est funcus, endiuia, malua, buglossa, borago, lactuca, horiza, lac, pisces saxatiles: ex his. n. etiam materia vtilis erit, & ex dicendis nunc, vt panis ex purissima farina confectus, pauco sale conditus, vinum album dilutum, cucurbitæ, pepones, & cucumeres, & bathelæ; fructus omnes, exceptis ficubus: quia sanguinem biliosum gignunt. Quo ad carnes autem inquit Rasis, cibetur carne arietina, & starnina, & vino tenui, à cibis custodiatur calidis, quia ipsi sanguinem denigrant. Audiendus modò est Gal. 11. simpl. cap. 2. de carnium qualitatibus loquens, ait. Calidorum naturæ animalium carnes non solum nos alunt, sed & calefaciunt, frigidorum alunt & refrigerant, sicciorum siccant & alunt, humidorum humectant & alunt; siluestrium domesticis sicciores sunt carnes. Siccior verò est caro capræ, quàm ouis, bouis quā capræ, leonis quàm bouis, leonis quàm canis, canis quàm tauri, tauri quàm bouis execti. Itaque proportione qua animalia in temperatura excedunt, & carnes quoque eorum differunt, atque exuperant. Proinde vbi consilium fuerit corpus siccare, sicciorumque animalium temperie carnem exhibito. Calefacere autem volens calidiorum, & frigidiorum si conaris refrigerare; denique si humidius reddere animal cupis humidiorum. Nec parua adhuc reliqua est differentia, cum quasdam sale condimus: nam prorsum diuerse, atq; aliæ euadunt;

dunt:adeo vt sæpenumero animalis temperatura humidisſimi caro ſalita longe exſiccatior euaſerit, quàm ea, quæ natura fuerit ſicca. Porrò inter eas, quæ ſalitæ non ſunt, ſiccior eſt ea, quæ aſſa, quàm quæ in aqua elixa eſt. Igitur meritò carnes piſcium ſaxatilium exhibent, & potius elixæ, quàm frixæ, aut aſſæ, vt humentiores ſint. Igitur non immeritò Galenus 2. ad Glauconem de cibis cancroſorum tractãs, ait. Succus ptiſanæ abundanter datus, ſerum lactis, ex oleribus malua, & attriplex blitis: & quando tempus tulerit, cucurbitæ. Ex piſcibus verò, petroſi eligantur, ex volatilibus exceptis paluſtribus, omnia idem omnes Græci aſſerunt. At ſi quando his caremus aliquas ex prædictis herbis ſimul cum carnibus coquimus, & caliditatem earum retundimus: ergò cõcedendi ſunt pulli, hædi, gallinæ, capi, & palumbi, vituli, perdices, coturnices, faſciani, his herbis conditi, & oua ſorbilia; vinum autem vel ſit dilutum, vel boraginatum, vel bugloſſatum, vel ſunchitæ tempore vindemiæ ſic paratum.

At quoniam in capite de cauſis de aere mentionem fecimus, operæpretium eſſe duximus de eo ſermonem agere, & quàm breuisſimè. nam ex 10. Metho. habetur, quòd calor, & ſiccitas interna dupliciter tollitur, videlicet, ab ijs, quę intro per eſum & potum aſſumuntur, de quibus iam iam dictum fuit, & per ſerrapia dicenda, dum purgationibus incumbemus. Secundò ab ijs, quæ extra ſunt, vt ab aere, balneis, inunctionibus, de quibus cap. 6. dictum fuit parum, & nũc quod supereſt de eis dicemus: igitur ſi ætas fuerit, eligat domum frigidam, nec admodum ſiccam: & in loco à Sole remoto arboribus vmbrato. Si hæc non adſint, irroretur cubiculum ſtratum .ſ. & parietes, & herbis recentibus circundetur, malua, ſcilicet, violaria, & roſis, & ninfea, & aqua frigida aſpergatur. Si verò Regio ſit calida & ſicca, vel ciuitas in loco calido, & ſicco cõſita ſit; in Regionem, & ciuitatem contrariam migret. Balnea ſint ex aqua dulci confecta cum maluis, lactucis, ſunco, & endiuia cocta, vel ſit ex lacte. Inunctiones ſint ex oleo violaceo completo, cum amigdalino commixto; omnia enim tam interna, quàm externa conſpirare debet, vt calidus, & ſiccus humor, calidusque & ſiccus corporis habitus ad contrarium declinet.

dolorem profundum sentiebat, & me aduocato, volebat eua cuare. Itē Aretheus in curam elephantiasis ait, Veratrū quolibet tempore, sed potius verę, aut autumno diebus alternis exhibeto.

An semper per veratrum, & fortia pharmaca fienda est talis purgatio? Respondetur, quòd quamuis 6. aphorismorum 47. dixerit. Forti, & frequenti medicamento purgasse & sanasse mulierem cancerosam, non ob id sequitur: ergò omnes forti medicamento purgandi sunt? Non enim omnes vnico calipodio calciantur: nam per illud, (forti) intelligimus id, quòd Auicenna dixit. Fortis in dosi, & debilis in virtute, vt sena, & epithimum, exemplo Gal. 14. Methodi, quòd interdum dabat serum lactis cum epithimo, vel mulsa tanquam debile medicamentum: interdum verò dabat eleborum, vel ieram per eleborum, secundum quòd illa materia tenuior, aut crassior erat, & patientis complexio, & iocinoris, & regionis calidior, aut frigidior erat. Namque Auicenna quarta primi cap. 3. nos monet, quod tempus æstiuum, & regio meridionalis admodum calida, satis purgationi, s. forti obstat: cum maior soluentium pars calida sit: & coniunctio duorum calidorum, regionis & pharmaci, intolerabilis fit: & sic in æstate. Adde etiam quod vires sunt imbecilliores eo tempore, & laxæ, & calor exterior trahit ad se humorem foras, & medicamentum soluens trahit ad intra. Et sic validus accidit tractus, ad pugnam hominem ducens.

Amouetur etiam ab euacuatione forti, qui calidam, cum totius, tum vero iocinoris temperaturam possidet; quoniam à calido pharmaco solutiuo, sanguis plus inflammatur, & nocetur, quàm de nocitiuo tollatur. Illi præterea minus euacuatione indigent, qui optimo vtuntur alimento, optimeq; concoquunt, & qui regiones inhabitant calidas. Item & senio confecti, & pueri valde remoti sunt ab euacuatione forti. Senes propter imbecillem calorem, pueri propter facilem sui caloris resolutionem fundati in substantia aerea difflabili.

Quamdiu purgationibus sit vtendum, ait Gal. 2. ad Glauc. hoc tādiu faciendū esse donec pristina sanitas subsequatur. Serapio vt supra, si cum euacuatione, & cibo non est possibile,

ſibile, vt humores non regenerent, & fluant, ideo oportet vt confortetur membrum ſemper, vt non effundatur ad ipſum aliquid cum aliqua medicinarum ſimplicium, ſicuti epithimum cum ſero lactis.

De concoquentibus. Cap. VIII.

QVAMVIS in lib. de conſtitutione artis, vt ſæpius diximus, hæc materia ad concoquendum, & ad expurgandum ineptisſima ſit; nihilominus niſi coctioni aliqualiter obediret; Græci, nec Arabes, nec Latini tantopere inſudaſſent in ponendis tot, tantisque huius malefici humoris concoctiuis; ſed vt noſtra oratio de concoctiuis auſpiciũ optimum habeat, de concoquendi ratione audiemus Hippocratem in lib. de veteri medicina dicentem. Concoqui autem, & permutari, attenuari, ac craſceſſere in humorum ſpecies, per multas, & obnigenas ſpecies contingit. At ſi dicat, Contingit in humorum ſpecies duo exerceri in concoquendo permutari, ſ. in qualitate. Secundario vero permutari in ſubſtantia. In qualitate, quod nimium caleſcit. Frigido demulceatur, & è contra.

Quod nimium ſicceſcit, humectetur, & è contra. In ſubſtantia quod nimium craſſeſcit, attenuetur, & quod tenue eſt, vt craſſeſcat oportet: & hoc fit in humorum omnium ſpeties peccantium in qualitate, & ſubſtantia, per multas, & omnigenas ſpeties, ſ. medicamentorum ſecundum omnigenas, & multas ſpeties peccantium humorum.

Atra igitur bilis peccat in qualitate & ſubſtantia. In qualitate quidem, quia, vt ait Galenus in lib. de conſtitutione artis, copioſisſima eſt in calore, à quo aſſata hæc bilis eſt: dein de perniciosisſima, & maligna, & ægrè concoquitur, & ægrè expurgatur, ſiccaque eſt, & craſſa, ob inſumptionem humidi innati: ergo per has omnes ſpeties mutationis, cõcoctio debet dilabi. Et quia maximè talis eſt: maximis talibus cõcoctorijs eget. Quatenus calida multum, & ſicca, multum humectari, refrigerarique poſtulat. Quo multum craſſa eſt, attenuari

nuari multum debet: quia vero maligna, alexipharmaco indiget; igitur concoctorium debet esse mixtum istarum multarum omnigenarum specierum coctionis.

Igitur post alui lenitionem secundum communem vsum factam ex vnc. I. s. floris casfiæ cum saccharo in forma boli redactæ per quartam partem horæ, ante cibum assumptæ; vel per 4. vnc. mellis rosati solutiui cũ totidem seri lactis vnc. I. bulliti cum passulis, & sebesten per 3. horas ante cibum deuoratas fiat sirupus iste, qualitatibus his iam dictis ex quadrato respondens, quod recipit, Succi cucurbitæ, batechæ, pomorum apiorum ana libram I. succi acetosæ, & citri ana libram s. sacchari q.s. f. in forma sirupi. Recipe prædicti sirupi vnc. 2. aquæ portulacæ, borraginis ana vnc. 2. f. sirupus, de quo vel semel, vel bis in die accipiat, vt lubet.

Facta aliquali humectatione, & refrigeratione humoris huius, ex iam dicto sirupo, quod per vrinam, & secessum, & per tactum cognoscitur; deueniendum est ad moderatum solutiuum: vt id, quod præparatum est, educatur, ne iterum incalescat, quale erit hoc, quod recipit epithimi, vel senæ vnc. s. casfiæ tantumdem, infundatur epithimum, vel sena in sero lactis cum passulis per noctem: mane autem leuiter, & parum bulliat, & coletur, & addatur casfia; & cum collatura illa fiat potio, vel si malit, in forma boli, accipiatur vnc. I. floris casfię cum drac. 2. pulueris epithimi, aut senę, & cum sacharo fiat bolus, accipiendæ sunt hæ medicinę per tres horas ante cibum.

Facta hac leui euacuatione; quoniam partes crasfiores superstites euasere, igitur attenuatione indigent, citra caliditatem, vt in hoc sirrho videtur, Recipe sirupi superstí. De cicorea compositi sine reubarbaro ana vnc. I. decoctionis boraginis in aqua cedri vnc. 4. fiat sirupus.

Facta aliqua coctione, cum iam dicto sirupo, expurgetur pauló fortius cum hoc solutiuo, quod recipit sirupi de fumaria solutiui vnc. 4. casfiæ nouiter tractæ vnc. I. seri lactis bulliti cum boragine, & passulis, & sena q.s.f. potio, per quinque horas ante cibum accipienda.

Cum primitus euacuentur ea, quæ fluuidiora sunt, necessarium est, vt quæ remanserunt, crassa valde sint; ergó postquã

satis refrigerauimus massam vniuersam sanguineam atra bile infectam, de necessitate sequitur, vt sine inflammatione eius possimus ad aliqua maiora attenuantia ascendere, quæ, quoniam calida sunt, si temperentur aliquo sirupo attenuante frigido, omni noxa carebunt: nec ob id suo frustrabuntur fine: igitur recipe sirupi de fumaria solutiui, de agrimonia ana vnc. s. de cicorea compositi sine reubarbaro vnc. 1. decoctionis cuscutæ, borraginis in sero lactis factæ q. s. fiat sirupus.

Peracta viarum apertione, & crassitie atri humoris attenuata, audacter ascendimus ad ea, quę fortius soluunt, quale est hoc, quod recipit electuarij amech, vel diasenæ Nicolai vnc. s. sirupi de fumaria solutiui vnc. 4. decocti glicirizæ recentis, missariarum passularum in sero lactis facti q. s. f. potio per quinque horas ante prandium absorbenda. Vel detur hoc aliud, quod recipit sirupi de fumaria solutiui vnc. 4. corticis elebori nigri præparati scr. 1. infundatur eleborus in sero lactis cum spica per noctem: mane autem leuiter, & parum bulliat, & coletur, & cum sirupo misceatur, vt f. potio. Vel dentur vnc. 6. decoctionis epithimi Mesuæ descripti in cap. de melancholia, interpolatis diebus, septies, vt vna vice iam dictam decoctionem sumat: altera verò die serum lactis cum sacchαro rosato commixtum, vsque ad senarium impleat numerum.

Quibus finitis, omni ingenio vti debemus, vt Galeni monitum seruemus decimo Methodi descriptum, quod commune omnium fermè, quos vitiosus succus qui creat morbum: vt in fine scilicet purgationis, vel morbi, calefacientibus & exsiccantibus pro sigillatione curæ vtendum sit, quippe hęc ad reliquum humoris, quod inest prorsus absumendum vtile est. Vnde vt mala complexio cancerosa eliminetur, optimum remedium ea esse duxi, quæ huiusmodi maleficam materiam discutiant, atque demulceāt, quemadmodum est hoc antidotū, quod recipit pulueris cancrorum fluuialium, vel marinarum in lacte suffugatorū, & in clibano exsiccatorum vnc. 4. pulueris ranarum limatiarum erinaciorum ana vnc. 1. corticum citri conditorum vnc. 2. rasuræ eleboris, ossis de corde cęrui ana drac. 3. xilo balsami, xilo aloes, sandalorum,

corallorum, limaturæ calibis præparatæ ana drac. 2. feminis acetosę citri, pulueris cardi benedicti, scordei citrach, ana drac. 1. ambrę, moschi ana grana 2. conseruæ buglossæ, boraginis, acetosæ, funchi ana drac. 2. sirupi de pomis simplicis q.s.f. electuarium, de quo per tres horas ante cibum ad castaneæ magnitudinem assumat.

Aliud ad idem, Recipe fragmentorũ lapidum preciosorũ drac. 1. pulueris margaritarum, corallorum rubeorum, & alborum ana drac.s. seminis endiuię, portulacæ, citri, ypericonis ana scrup. 4. rasurę eboris, sandalorum ana drach. 1. & semis.

Mirabolanorum indorum conditorum, corticum citri conditorum ana vnc. 1. moschi, ambræ ana drac. 2. theriacæ vnc.s. sirupi de pomis simplicis q.s.f. electuarium accipiendum, vt supra.

Mirifice laudo aquam hanc destillatam, quæ quidem maxime obstat malignitati, & virium debilitati, quæ in tali casu prospicienda maxime sunt: quia ęgrum ad interitum ducunt.

Accipiatur igitur capus, vel galina, vel pullus secundum ipsorum tempus, & ab omnibus immundicijs, & excrementis expurgetur, & ponatur ad coquendum in sufficienti quantitate aquæ cum integro cedro inciso, & cum decem pomis apijs incisis, & cum duobus pugillis acetosæ, & totidem melissæ cum vnc. 1. theriacæ optimæ, coquantur hæc omnia ad pulli consumptionem in multa aqua, vt exinde multa remaneat decoctio, quam, cum carne illa, exemptis ossibus, & pelle, & alijs rebus, in magna boccia retorta ponetis, vt destilletur, & ex hac aqua sumat mane quinque vnc. & totidem in sero, quum vadit dormitum.

Topi-

De doloris cancri mitigatione.
Cap. IX.

GALENVS 4.Methodi ait, duplex esse consilium in curationibus, vel vt affectus ex corpore prorsus eximas (quod impossibile esse monstrauimus) vel vt incōmodum, quod inferunt vincas, nempe Hippocr. in lib. de arte, ait: Morborum impetus vehementes nos debere obtundere. & Areteus, dolores sedare, morbos intercipere, ac obscurare Medico fas est. Igitur hoc in casu cura debetur lenitiua, præsertim cum Rasis loco sępius citato dicat, quòd postquam creuerit cancer ad perfectionem sui, blandiatur. Celsus verò in 5.lib. ait, Imponenda tantum sunt lenia medicamenta, quę quasi blandiantur. Actuarius etiam 2. suæ Methodi cap. 7. ait, Malum hoc ob sui vehementiam insanabile videtur; est tamen ei per ea, quæ mitigatoriam facultatem obtinent, succurrendum: quia vt ait Celsus, quo minus ad vltimam senectutem ægri perueniant, non proijciāt.

De hac lenitiua cura Gal. 6. aphorismorum commen. 38. dicens: Ipsam demulcere, ac mitiorem facere, s. partem affectam. sed hæc cura lenitiua duplex est: alia namque est carcinomatis occulti; reliqua verò aperti. Si occultum fuerit, triplex erit intentio, leniendi scilicet dolorem, prohibendi augumētum, prohibendi vlcerationem: in aperto autem intentio est medicandi dolorem, fętoremque abolendi, adstringendi sanguinem fluentem: denique in vlceris medelam descendere.

De prima scilicet in occulto pro leniendo dolore optima est ea, de qua iam diximus remedia, quæ fiebant per iam dictum plumbi succum, rosaceo vnguento commixtū, ex quo tepefacto sæpe illiniatur cancer dolorosus.

At si ex eo non quieuerit, inungatur ex oleo ranino facto per descensorium ex ranis viuis, butiro repletis, vel testudinū, aut erinaciorum liquore per descēsoriū accepto; vel hæc singula animalia in oleum nostrate coquantur in duplici va-

se, & ex oleo illo colato inungatur dolorificus: vel dum coquuntur, potest addi portulaca, vel folia iusquiami, vel papaueris, & ex eo lenire locum affectum.

At cùm scriptum reperimus apud Gal.1.de loc.aff. quod nullus potest rectè sedare dolorem, nisi prius doloris causas perspectas habeat. Si igitur causa doloris erit cancri magnitudo, & pondus deorsum trahens, euellensq; musculos, vt exinde dolor fiat: nam ait Rasis, interdum magni peponis magnitudinem implet, tunc suspendatur ad collum leui linteo, vt ponderi resistat, & postea rodino inungatur.

Si vero fuerit à duritie, pondereve superpositi alicuius cerati, iubet Aetius demitti, quia ab eis irritatur: præsertim à cerotarijs duris, & à cataplasmatibus onerosis: interdum enim nonnulli patera cristalli, vel plumbi cooperiunt cancrum, quæ pondere premit, & duricie contundit, quæ statim auferenda est, & postea rodino succo simphyti admixto inungatur.

Si verò ex ambiente frigido doleat, talamo concludatur calido, pãnis muniatur: tepidis præsertim si ex horum penuria frigus aduenerit, & inungatur rodino cum sappa, & melliloto bullito.

Si verò ex calore fiat, vel scilicet ex aere calente, vel à linteorum copia, vel à pharmaco calido, vel à dormitione super membrum affectum, vel à cibis & potibus calidis: omnia hęc remoueantur, & ad contrariũ declinent, & rodino cum succo portulacæ trito illiniatur.

Si à vapore doleat, qui cùm acris sit, pũgit, exulcerat, exhaletur fotu, ex decocto camameli, & meliloti, & seminũ coriandrorum præparatorum, parietariæ, maluæ, & rosarum, & radicum altheę, vnà cum suis folijs an.m.1.& coquãtur in fictulo aquæ cisternæ, & fiat potus tepidissimus: quia à calido irritatur, & inflammatur.

Si verò fiat dolor, (vt par est,) à mala qualitate malefica, Attauus noster excellen. Bartholomęus Montagnana senior, laudat linimentum factum ex duabus tutiæ præparatæ partibus, tritis in mortario plumbi cum succo citri, terræ sigillatæ, & luti armeni, & terræ Milrensis ana vnc.1. cũ succo vincitoxici q.s. fiat linimentum in mortario.

Augu-

Augumenti prohibitio.

Gal.14. Metho. ait, Maiores verò fat fuerit, si his scilicet purgationibus & mineralibus lotis prohibeantur,augeri. A quo accepit Auic.cap.de cura cancri,dicens. Quum incipit fortasse, est possibile,vt prohibeatur,ne addatur super illud, quod ipse est. Item in cap. de Medicinis localibus, ait. Et prohibitio additionis. Eandem sententiam retinet Rasis, dicens. Cui si illico ex quo incidit succurratur, & vt debet, tegatur, forsitan stabit, vt est, neque augebitur.

Ad hanc opinionem Auicenna loco citato nos inducit, dicendo. Illud verò prohibet additionem, quando peruenitur cum abscisione materiæ,& refectione cibi,& confortatione membri cum medicinis repercusiuis notis, & administratione linimentorũ mineralium, sicut linimentũ ex fricatione lapidis molendini, vel quod est, sicuti linimentũ factum ex fricatione eius, quod resoluitur inter tabulam, & manicam de plumbo & humiditate fusa super tabulam, quæ est sicuti oleum rosatum, & sicuti aquæ coriandri, & iterum emplastratio cum agresta trita est bona, & iuuatiua.

In hoc textu Auicennæ habemus causas ipsius augumenti ex remedijs acceptas, quarum prima est materiæ copia, & ideo dixit, cũ abscisione materiæ,quæ purgationibus tollitur. Secunda causa est ciborum qualitas, & quantitas, ex qua augumentum fit tumoris per regenerationem nouæ materiæ facientis nouum affluxum, ex quo augetur malum: & ideo dixit, & refectione cibi,s. in quali, & quanto, vt iam de illis supra diximus. Tertia causa est ab ipso dolore affecto: nam 13.Metho. Est inflammationis, & augumenti prohibitio. Dixit cum medicinis repercusiuis notis,& omnia frigida apponit, quæ fluxui calido resistunt. De medicinis autem purgantibus, & de victu congruo, iam ante docuimus. non igitur est opus eandem cantilenam iterum, atque iterum repetere. De topicis tantum hic est sermo.

Dicit igitur Auicenna,Et administratione lenimentorum mineralium, sicuti linimentum fricationis lapidis molendini, & lapidis cotæ. Pro quo aduertendum est, quod apud antiquos vsurpabantur cõtritiones lapidum teneriorum inter

ter lapides duriores ponentes lapidem minus durum, atque contritum super lapidem tersum, & valde durum, & cũ manubrio lapideo valde duro affuso liquore, in Pictorum moré, vel mineralia, vel minus duros lapides atterebant; vel mortaria ex duris conficiebant lapidibus cum suis pistillis, & affuso liquore minus duros lapides, & mineralia terrebant: igitur cum Auicenna vigeret, lapidem molendini, cotæ valde duros esse, vel tabulam cum manubrio, vel mortaria cũ pistillo conficiebant, secundum quod ad huiusmodi negotia magis expedire videbatur, friccabant. igitur mineralia in eis motus exemplo Galeni 9. simpl. cap. de lapidibus, in fine dicentis. Primum dicam qui mortarij, aut cotę attritu in liquorem, succumve soluantur, veluti hęmatitis, gypsos, galatites, ac millitites in succum soluuntur: similiter lapis ille, qui in Aegypto nascitur, in succum territur: eo namque vtuntur ad splendorem, lintijs conciliandum. vult igitur Auicenna mineralia atteri debere, quũ substantia eorum crassa, & terrestris est, vt facilius penetrent; & super hos lapides effuso aliquo succo commodissime soluantur pro prohibitione augumenti cancri: quia tale linimentum acquirit frigidioré qualitatem à lapidibus, inter quos territur. Insequutus est Galen. mentem 14. Metho. quo loci ait, Maiores verò, scilicet cancros, sat fuerit, si his scilicet mineralibus hoc pacto attritis, & lotis super lapides, de quibus ante dixit, vnà cum purgationibus prohibeantur, augeri. Ergo peroptime Auicenna effundit oleum rosatum, s. immaturum, & aquam coriandri, & succum onfacij, vt repellat astringendo, & refrigerando, & roboret, & aliqualiter ratione aquæ coriandri discutiat, vel intimius mineralia penetrare faciat.

Alium modum lenimenti, vel, vt rectius dicam, resolutionis mineralium in succum ostendit eum esse, Auicenna duplici virtute dotatum, vna quidem eorum, quæ teruntur; altera verò sub quo, aut in quo teruntur, & ideo dicit, linimentum factum ex fricatione eius, quod resoluitur, idest teritur inter tabulam, & manicam de plumbo in humiditate fusa.

Tabula igitur est illud platisma magnum, longum, & latũ ex plumbo confectum, sub quo mineralia puluerizata ponuntur,

nuntur, & ex aliquo liquore asperguntur. Manicha verò est id instrumenti lati in fundo, & stricti in summo, & graue, quod ambabus manibus continetur, quod manubrium, vel manu volubre dici potest, & similiter id quod ex plũbo conficitur. Sed nos mortaria, & pistillos ex plumbo cõfingimus, & mineralia cum liquoribus ad nigrorem terimus, & linimẽta confingimus, quę partim vim suam à vase, in quo terũtur, & ab eis quæ terentur, habent; & ideo maiorem habent refrigerandi vim.

Vltimus modus prohibitionis augumenti est; Albuchasis tract. 1. cap. 52. dicentis: Quando cancer est incipiens, & vis ipsum sistere, tunc cauteriza ipsum cum cauterio circuli, vt in circuitu eius reuoluatur sine cauterizatione in eius medio, ne vlceretur. Tria hic sunt aduertenda. Primò, quòd circulus ille non fiat, nisi incipiente, idest paruo cancro. Secundò, quòd non debet tangi aliquid de ipso cancerato, ne vlceretur exemplo illorum, qui cauterizabant in medio tantum. Vltimum est, quòd si non potest fieri illa circularis adustio cum ferro circulari finita, fiat tamen circulus ex pluribus cauterijs formam illam implentibus, quam quidem circulationem, seu cauterizationem apertã, & nitidam custodiemus.

Galen. de atra bile, ait. Atris illiciendis humoribus accommode euacuationes efflantes, & cancros augescere prohibent.

Quando prohibendi cãcri sunt ab augumento? Respondet Rasis in diuisionibus suis, cap. de cancro, dicens. Cum non est in eo omnino caliditas, & pulsatio, scilicet fortis, tunc non oportet vt curetur cum alio, nisi cum eo, quod eius augumentũ prohibeat, cum rebus scilicet frigidis, & stipticis, vt dictum fuit.

De prohibitione vlcerationis.

Rasis ad Almansorem, vt iam diximus, ait. Postquam verò creuerit ad sui perfectionem, blandiatur, ne in ipso fiat vlcus custodiẽtes à supercalefactione, & à calidis medicamẽ-

tis,

tis, aut ab aliter facta inflammatione, imponendo herbas frigidas tunsas. ex hoc igitur tex. Rasis habemus, quod causa exulcerationis est inflammatio, quæ putrefactionem excitat, & vlcus fit. Deinde habemus causas inflammationis esse super calefactionem à medicamentis vel, vt iam diximus, est dormitio super locum canceratum, vel nimia indumentorum copia, vel aeris nimia caliditas, vel maturantia imposita, quæ omnia continentur sub eo verbo Rasis dicẽtis, aut ab aliter facta. Gal verò 14. Meth. dicit, putrefit tumor, nec propterea, quod in vasis sit impactus, & ex eo exulcerantur cancri.

Aliam causam vlceris Auicenna recitat, cap. de cura cancri, dicens: Quandoque reducit eum, scilicet cancrum ad vlceratum curatio eius cum ferro, & ponit ei labia grauiora, & grauiora, & addit malitiam in pluribus. Rasis verò loco citato dicit, Qui hoc apostema ferro incidunt, nummos plus lucrantur, quàm cum cancrum eum exulceratum faciunt.

Rasis in diuisionibus cap. de cancro. Ponit signa futuræ vlcerationis, dicens. Si vero cum eo fuerit caliditas, & pulsatio, s. fortis, tunc non oportet nisi vt blandiatur, & si curatur, ne vlceretur: ideo non dormiat super ipsum, nec calefiat: vnde si timemus futuram vlcerationem, debemus nos abstinere à ferro, & ab igne. At si inflammari, & putrescere affectus locus incipit, refrigeretur, vt dixit Rasis, & emplastretur cum herbis frigidis tunsis, sicuti cum plantagine, solano, parietaria, poligono, pauco aceto respersis, vt corruptioni obstetur, fiat phlobotomia ab eodem brachio, secundum tenorem virtutis. Soluatur venter medicamento non calente, victu refrigerante vtatur, & quàm citissime id fiat; quoniam dilatio in hoc casu maximum periculum portat.

Pro topico ex mineralibus confecto resistente inflammationi, & putrefactioni, & oppilationi meatuum, & sine morsu vtemur, s. eo quod Auicenn. descripsit in cap. de memoratione medicamentorum localium ad cancrum. Quod conficitur ex terra lemnia, & bolo armeno, & oleo antiquo, & aquæ semper viuæ, vel ceratum cum succo lactucæ, & mucore psilii. cum cera: vel medicamentum ex cancris fluuialibus

Primum medicamentum Auicenna accepit à

Paulo

Paulo Aegineta in 4. lib. c. de cancro, quod longè præstantius est cæteris alijs, dicente, In plumbea pila crocearco plumbeo lemniam sfragidem ex posca, vel mulsa, vel lacte terito, vt nigrescat, vel rosaceo, vel onotribe oleo, pro quo male Auicenna antiquum oleum posuit: quia ignem igni addit. Paulus oleo illo addit semper viuum, aut quod collido nis, vel acori succum.

Vltimum eius remedium accepit ab Archigene recitatũ, & ab omnibus Græcis, quod conficitur ex cinere cancrorum fluuialium cum æquali pondere cadmię vel aspersum, vel cerato commixtum, & appositum.

Valet mirifice, vtpote omnibus numeris respondens hoc, quod recipit terræ lemniæ, vel luti armeni Orientalis, vel terræ miltensis, & antimonij septies in aceto extincti. Vltimo in aqua rosata ana vnc. 1. poschę, vel succi acetosę, vel succi pentafili quantum sufficit, fiat linimentum in mortario plumbi.

Vlcerati curatio.

Galenus in commento 38. sexti aphorismorum, ait. Alterum est, eam adhibere prouidentiam, quæ passioni congruat, hoc est ipsam mulcire, idest lenire, ac mitiorem facere; & tunc præcipue cum adest vlceratio. Idem ait Celsus imponendo tantum lenia medicamenta, quæ quasi blandiantur, quo minus ad vltimam senectutem perueniant ægri non prohibeant. Perficitur itaque lenitio secundum Gal. ibidem dicentem. Quia necessarium est, vt aliquid agamus: Si verò non illud, scilicet sanas: saltem saniem abluamus humido aliquo vtẽtes nõ quomodocũque; sed vel per experiẽtiam, vel per indicationem inuento, quod neque putrefacere, neque irritare partem patientem ex sui natura sit aptum. Ab hac igitur curatione neque absistere oportet, vt ratio nos docet, quia sanies ibi est, quæ abduci debet, & ablutio fit per humidum, ac fluidum. At quoniam vlceris malignitas acribus,

vt dici solet, afferatur, & irritatur: Ergo humidum illud minime acre esse debet, & per consequens leuiter abstergens, nec rodens: quia saniem hærentem simul cum carne cum dolore detraheret. Debet etiam putrefactioni resistere, vtpotè quià substantia eius admota super membrum non corrumpatur: quia multa sunt, quæ humida, & lauatiua abstersiua sint, cuiusmodi succus peponis, & batecę: quia super membrum posita corrumpuntur, & simul cancerosas carnes putrefaciunt: igitur pro indicatione hoc sit sat.

Altera via erat ab experientia desumpta, quæ ab Actuario 4. suæ Metho. cap. 16. sic describitur. Ad famam æquum est, vt huiusmodi quoque vitijs aliquid imponatur, & à mitioribus paulatim ad validiora progredi debemus vsque dum viribus & æquipollentia medicamenta reperiamus, docet.

Galenus verò de inuentione medicamentorum, secũdum has duas formas 6. Catage. cap. 1. sic ait. Primum ipsorum compositionem ex coniectura artificiali mollimur. Postea verò cum nonnulla postea experimento probatissima visa fuerint, nonnullaque à scopo absint, denuo & rursus corrigimus, & tertio nonnunquam ad perfectionem eius, quod præstare volemus, ipsa redigimus.

Ideo ex debilibus lauatiuis erit serum chalibeatum, & vt vrina pueri bene nutriti. Lac sit quoque 10. simplicium cap. de lacte, cancrosis vtiliter applicatur vlceribus, & maxime si plures lapilli igniti in eo extinguantur. Item solani, vel plantaginis, vel parietarię, vel pentafili, vel scabiosæ, vel blitis, vel scordij succus, vel aqua ex ijs distillata, vel eorũ decoctio, & præcipue caulium: præsertim si cum eis aliqua fortiora commisceantur: in parua tamen quantitate primitus immisceantur, demum paulatine augeatur quantitas medicamenti fortis, donec ferè nihil mordeant: Humida verò illa fortia sunt hæc, aqua scilicet antimonij, vel sulfuri, vel calchanti, quæ cum iam dictis mitibus paulatine misceatur, donec ad eum gradum mixtionis perueniamus, vbi ex ijs nec morsus, nec putrefactio, nec sordes, vel sanies adsit.

Cum

Cum intentio nostra non sit ablutio tantum: quia hæc nõ persistunt sed apposita fluunt: ergo satis erit, si filamenta in eis madentia imponamus: supra vero, vt vniuersum affectũ ambiant, atque persistant: præsertim ad solita negotia digredere ægrum oporteat; igitur apponendum est recentissimum lenimentum simplex, vel vnguentum pani figeron à Gal. 2. ad Glauconem cap. de cancro descriptum, in translatione ex Arabico in Latinũ inuersa eo loci loco cerusæ, quæ Græcè dicitur psimicion, dicit absinthium.

Valet etiam id, quod ab Auicenna describitur in hoc casu quod recipit farinæ amili, olibani, & cerusæ ana drach. 1. terræ sigillatæ, boli armeni, aloes, atolyn ana drac. 2. fiat subtilissimus puluis, cuius dimidiata quantitas sit puluerulenta pro aspersione: cætera verò cum cerato rosato commixta in forma linimenti super linteum ponatur.

Non minoris laudis est in hoc casu illud, quod à Scribonio Largo describitur, sua nãque exsiccatione prohibet corruptionem exsiccando superfluam malam humiditatem, inflammationem sedat refrigerando, mundat vlcus abstergendo sua emplacitate, concoquit humorem acrem, & malignũ, quemadmodum & illud prædictum ab Auicenna, & longe melius, cuius est hæc descriptio. Recipe tutiæ, cadmiæ ana vnc. 1. cerusæ lotæ, lytargirij loti ana vnc. 2. thuris, plumbi vsti & loti ana vnc. s. ceræ albæ, terebẽtinæ ana vnc. 1. croci mirthini vnc. 6. pulueris iusquiami albi capitum papaueris nigri, iridis, meliloti, aristolochiæ ana drac. 2. vini antiqui, & odorati vnc. 4. misce, & fiat vnguentum.

Ex ijs autem, quæ à proprietate habeant valent & citrach, herba roberti, & herba sanctæ Barbaræ, galiopsis, vrtica, virga aurea, saluia, faciendo vel succum, vel aquam, vel puluerem, vel cataplasma, vel vnguentum ex aliquo illorum.

Doloris mitigatio.

Quoniam à putrefactione, & à rosione, & venenositate

ſaniei corrodendo, & ampliando procedit: ideo ne in peius dilabetur, demulciatur hoc medicamẽto, quod recipit anguiũ dictarum vulgo anzæ, erinaceorũ, teſtudinum, ranarũ an. lib. 1. panis ſpõgioſi albisſimi tũc de furno detracti lib. s. Coquantur in aqua portulacæ, & nenufaris cum quarta parte ſapæ, & deſtillentur, & per petias mittentes applicatas medicetur. vel fiat oleum raninum, & viperinum ſimul per deſcenſorium, & liniatur, præſertim cum viperæ ſint decorticatæ, & ſine cauda, & ſine capite, & infuſæ per 24. horas in aqua ſcordei: Poteſt enim cum eis in oleo noſtrate coquere in balneo mariæ folij iuſquiami, & facere oleum ad liniendum.

Fœtori reſiſtens.

Maximus & intolerabilis eſt huiuſmodi vlceribus fętor, vt nõ vno modo ægro, verũetiã ab omnibus domeſticis abhominetur. Iure igitur merito ei reſiſtendum eſſe omnibus, vt aiunt, viribus: nam Hippocrates in primo de Dieta inter naturaliter, & accidentaliter corporis deſtruentia, malos odores immiſcuit, dicens, Cibi, & labores contrarij ſunt. Cibi enim reſtaurant corpus; labores autem abſumunt; exhauriunt vires naturaliter ſenectus præter naturam, labores, venus nimia, odores mali, vigiliæ, triſtitia, timor. Contra naturam morbi cauſæ, & ſymptomata, dolor, euacuatio, imbecillitas, innata fames, ſudor, aeris, denique caliditas: cum igitur ita ſit, ei reſiſtendum eſſe operæpretium putamus multis noſtris remedijs: & primo eo, quod recipit pulueris thuris ſarcocolæ, antimonij præparati, aloes ana vnc. 3. petrollij, olei de terebintina, mellis ana lib. 1. ſucci chelidonij lib. s. infundantur ſimul per triduum in balneo mariæ, vel in phimo equino: poſtea deſtilentur. Ex hac namque aqua petiæ madidæ imponantur, & ex puluere reſiduo vlcus aſpergatur, & petijs cooperiatur.

Item

Item & hoc quoque mirabile est, & facile parabile, quod recipit myrrhæ, carpobalsami, nucis miristicæ ana vnc.s. olei hyperici, olei de terebintina ana vnc.3. muschi electi gran.4. ambrę totidē, olei de lateribus vnc.7. bulliant in diplomate, & ex eo parum illiniatur, & si morderit, demulceatur cum oleo ranino, vel lacte, vel sapa.

Aliud celebre, quod recipit lapidis berilli attritissimi, & præparati sub marmore cum aqua rosata, argēti distillati in aqua ardenti, & loti cum aqua rosata, boli armeni Orientalis, terræ miltensis ana vnc. 1. succi totius citri q. s. terrantur simul per tres dies, & postea destilentur. Succus cedri sic trahetur, ponatur cedrus in orinali vitri in balneum mariæ ad bulliendum, donec totus flaccescat, & postea torculari exprimatur. vel fiat hoc vnguentum. Recipe citri parati vt dixi, & optime contriti lib. s. boli armeni Orientalis vnc. 1. succi vince toxici condensati ad mellis spissitudinem vnc. 3. misce.

Vel recipe trociscorum Andronij, de vipera, præcipitati facti cum auro ana vnc. 1. gariophillorum vnc. s. succi apij, chelidonij an.q.s. terantur simul omnia, & postea destilētur.

Vel recipe scordei, cardi benedicti, gentianæ, carlinæ, ænulę centauri maioris, tormentillæ omnium minutim incisorum ana vnc.3. succi semper viui, vini maluatici ana q. s. infundantur per triduum, & conterantur, & postea destilentur.

Sanguini fluenti resistens.

Sanguinis fluor ex venarum rosione continuo fit à putri, acrique humore. Quatenus igitur acris ab emplasticis cohercetur, quatenus erodit à stipticis corrigitur. Quantus putris à piroticis tollitur: igitur fiat hoc, quod recipit antimonij præparati, lapides æmathitis præparatæ, sanguinis draconis, gummosi perlucidi, thuris, gummi arabici ana vnc. 1. trociscorum Andronij vnc.s. omphacij q.s. fiant trocisci, qui cum

aqua ciclaminis diſſoluantur, & per filamenta applicentur, vel ex eorum puluere aſpergantur cancri.

Vel fiat hoc, quod recip. hypociſtidos, balauſtiorũ ana m. 1. florum, & foliorum, & radicum ciclaminis, plantaginis, poligoni, portulacæ, virgęaureę, caudę equinæ, millefolij an. m. 2. gũmi a rabici lib. s. calchanti vſti vnc. s. omphacij q. ſ. terantur ſimul, & infundantur per triduum in loco calido, poſtea deſtilentur, & per petias in ea madentes applicetur.

Prohibitio regenerationis.

Vt omnibus incommodis á cancro exhibitis reſiſtatur, & regenerationi, inchoandũ eſt, reſiſtendo ſcilicet, ne amplius ſuccreſcat: nam Gal. 14. Met. proſpicere debemus, vt qui iã ſunt ferro ſanati, vel alio modo per diſtrictionem ſublati, & poſtea cicatrizati, amplius non regenerentur: quia talis ſanatio eſt abuſiua, ſecundum Galenum in libro de attra bile, dicentem. Si ſanatio appellari poteſt: quando partem affectam orbilitatim ad ſanas, ac integras vſque exſcindimus vniuerſam, ſed longe præſtantius eſt ſanatio per purgationes, & per inunctiones, ex mineralibus locis á Galeno recit. 14. Metho. antequam materia in membrũ affigetur, & inſinuetur: quam curam (vt credimus) á nullis factam fuiſſe; nam eo in tpe quo fienda eſt, nulli Medici aduocantur: nam tantum aduocamur augmenti tempore, vel in ſtatu: ergo ſanatione quomodo facta, debemus ipſam cuſtodire, quandoquidem vt ait Poeta *Non minor eſt laus quam quærere parta tueri*, Fit autem cuſtoditiua cura per ea inſtrumenta, per quæ curatiua fiebat, ſcilicet per annualem binam purgationem veræ & autumno factam, & per cibaria aduerſantia, & prohibentia humoris regeneratione͂, & per phlobotomiã, & per pharmaca purgantia, & per euitationem denique eorum omniũ, quæ diximus in cap. de cauſis: & hæc pro incommodis tollendis dicta ſufficiant, vnum præmonentes, quod ſtatim, vt dixit Galenus in commen. quos, & quando, &c. quod quando

do

do dolori aliquo affligi cœperit pars ante affecta, vt detur solutiuum statim oportet, quale esset syrupus de polipodio; quatenus verò ad topica spectat, non vituperarē aquam omphacij simul cum oleo rosato completo immaturo. Reliquū est vt cum cæteræ iam dictæ curæ cancri, vt prædiximus, nihil valeant, vt ad aliud genus inusitatum nostra se vertat oratio.

De veriori cura carcinomatis ab Aetio indigitata, & à nobis locupletata. *Cap. X.*

QVVM miserrimum, atque infortunatum ægrorum sit genus, præsertim cū nec à morbo sanari, nec à symptomatibus immunes esse possunt: igitur pro desperata cura hæc dimittenda esset, nisi moniti essemus ab Aetio, sermone 13. dicente. Humanum enim, & plenum beneuolentię signum est in extremis etiam malis vsque ad experimentum procedere, ad difficultatem scilicet affectionis compescendam. Itē Actuarius dum de cancro oculi tractat, dixit. Decet qui humanam artem, qualis medicina est, tractant, experiri quantum ars medica in his possit, ac valeat. vnde ne mirum videri debet, si Aetius, & nos quoque alteram curandi cancri curam à nullis hucusque obseruatam tradimus: nam vt inquit doctiss. Fernelius in lib. de abditis morborum causis. Necesse est vt & contraria, & occulta remedia assistant, quibus morbis aduersemur. Nihil enim in hac rerum vniuersitate subsistit, cui non & simile, & contrarium quoddam natura protulerit, etsi nostra diligentia id inueniri nequeat. Quibus stantibus doctissimus Aetius, non temere protulit 14. libro, nos confidere debere in theriaca Andromaci cū modico rosato diluta pro topico si-

cuti,

cuti 16. lib. cap.48.cõsolidanda esse, quæ venenosis potionibus aduersantur in cancro huiusmodi Theriaca, & Mitridatũ,& Antidotũ ex sanguinibus,& hoc scilicet intus assumptũ: & in cap.50.propinat eam per os in passo dilutam,& pro thopico mulieris lacte, & rosatio cõmixtam: quia & similem,& contrarium in se retinet: nam is morbus venenosus est, & viperæ venenosæ sũt.ergo simile:cætera verò quæ anthidotũ conformant venenis oĩbus & corrosiuis, & putrefactiuis resistunt: cancrosa etenim materia, quia putris est, fętet: quia acris est, rodit: ergò in se retinet venenum putrefactiuum, tum corrosiuum. Ideo Aetius & Anthidota vsurpauit.

Cur est, quod Aetius inusitatam hanc curam inuenit? respondet Galenus 14. Methodi, quôd plurima noua inuenta sunt suo tempore, quæ apud maiores suos inuenta minime fuere, veluti Romæ quidam excogitauit quemadmodum acrocordenas,& mirmetias ore sugendo sanet. Ponitque inuentionis nouæ duos esse modos, dicens. Verum qui prudens est, & diligens,menteq́ue exercitatus ipsa rerum natura quid agendum sit monstrat, vt in casu nostro, cancri natura venefica est, Ergo ab ijs, quæ venena curant sicuri debere excogitauit. Secundum inuentionis nouæ modum aperit, dicens; vbi verò etiam inueniendi quid ab alio quis traditũ acceperit, scilicet non perfecte facillimum est per eam vltra progredi: vidit enim Gale.11. simplicium recitantem rusticum à rusticis venenato vino ex vipera suffocata in lagena vini, & propinato venenoso helephãti,quæ morbo oppresso sanatum, viditq́ue theriacam in libro de theriaca ad Pisonem, & mitridatum in libro de antidotis sanare tum eos, qui à venenis intro ingestis, tumq; intro assumptis vel à forinsecus applicitis sanari: ergo ausus est ad venenatum hũc morbum eisdem præsidijs vti. nam cum curatio ex contraria facta nihil valet, & nullus curæ modus succedit ad analogismum nos currere debere hortarunt Medici authores: Celsus etenim in primo libro, cap.1. ait: Ad quod medicinæ genus neq; semper similitudo aliquid confert,& si quando

do, confert: tamen idipsum rationale est inter similia, & morborum & remediorum cogitare quo potissimũ medicaméto sit vtendum. Cum igitur in tali re incidit, Medicus aliquid oporteret inueniat, quod non vtique fortasse, sed sæpius etiã respondeat: igitur de cura elephantiasis est facta transmutatio in cura cancri, cum viperis scilicet, vt infra dicetur.

Cur igitur nos ad hanc impellimur? quia secundo Politicorum, vetusta nouis rudiora sunt: ergo ad noua pollitiora vtenda animus intendit, & eo magis cum Aetius dicat: quare audacter hac cura vtitor, despiciens subsannatores: quia morbi minime cognoscunt naturam, s. veneficam.

Potest esse huius nouæ curæ ratio, quæ describitur ab Excellẽtissimo abbauo meo Bartholomæo Mõtagnana in consilio de cura lepræ. Quod solum in his morbis danda fides est medicinis, quæ, quum hoc, quod imprimunt in corporibus nostris qualitates, per quas sufficienter possunt aut digeri, aut consumi materia antecedens, vel alterum coniunctam etiam operentur cum proprietate sua maleficam morborum destruendo vim, & corporis roborationes inducunt, vt Theriaca, & Mithridatum, &c. vt viperarum esus, & vsus secundum multiplicem modum, tum per intro, tum per extra. At Galenus in elephantiasi secundo ad Glauconem, ait. Ipsum etiam medicamentum confectum ex viperis in potu exhibitum, vel cuti illitum, iuuare.

De viperis comedendis, ait, Sed ijs, qui elephantiasim patiuntur, hinc viperarum esus est mirabile auxilium. Si ergo intus assumptæ prosunt, ergo etiam & extra illitæ eundem auxilium præstabunt: nam & in internis, & externis morbis intrò assumptæ semper mirabile auxilium præstant, vt de externo morbo fidem habemus non exiguam à Plinio 36. libro, cap. 13. dicente. Antonius Musa Cæsaris Augusti Medicus, cùm incidisset in insanabilibus vlceribus, viperas edendas dabat, & mira celeritate eas sanabat.

Motus igitur Aetius his rationibus, curam suam nouam aggreditur inscriptam de curatione cancri sine chirurgia, & partitur suam curam in tribus partibus, quarum prima

est inscripta Cancrorum curatio sine chirurgia. Secunda inscribitur Curatio cancrosorum tumorum vlcere caretium. Tertia dicitur Vlcerati cancri curatio.

In prima tria facit, purgat, dicens, Ante cuiusque malefici vlceris medicationem, vniuersum corpus curare oportet: Deinde localia præsidia admouere; ergo aluus ex aloe, vel amaro medicamento ex eadem confecto soluenda est: deinde alit congruis alimentis, de quibus iam alibi ego tractaui. In tertia ponit alexiteria, vt malignitati resistant, dicens. Dandaque assiduè sunt, quæ venenosis potionibus aduersantur; & recitat plura: Quorum primum est theriaca, & Mithridatum, & Antidotum ex sanguinibus, quatenus spectat ad composita. Secundum autem est ex simplicioribus, vt anseris, aut anatis nuperrimè iugulatis tum calidus sanguis bibitus, aut trifolij bitolinosi contritissimi cochlear vnum, aut duo ex tribus aquæ cyatis, aut seminis rutæ agrestis vnc. i. aut pulegij antiqui drac. i. cum maluæ decocto: Altimarus verò alexiterium ponit, dicens: Et mirum in modum cancrorum fluuiatilium ius ex lacte asinino quinque diebus exhibitus ita vt totidem subinde diebus ipsimet cancri comedantur: talis enim periodus septies peracta mammillarum cancros efficit placidissimos, vt deinceps simpliciorum epithematum vsu pristina sanitas comparetur.

Secundam partem suæ curæ aggreditur, quæ tumori, dolori, mollitioni incumbit: & primò, vt tumori resistat, panem cum modico symphito apponit, scilicet (vt ego credo) decoctum, & contritum in aliqua aqua, vt portulacæ, vt possit cataplasma confingi quod sit tenuissimum, ne membrum aggrauet.

Dolori resistit cum rosis, meliloto, papaueris semine coctis in passo, & tritis, additis ouorum vitellis, vt possint subijci, & applicari; vel altheæ folia elixa sola, vel cum pane attrito commixta, vel plantaginis capitorum papaueris cum seminibus, & psilij portiones æquas sumito, puluerizanda puluerizentur, & psilium in passo cretico madefactum cum

pal-

palmulis pinguibus subactum aridis commisceto, anserini adipis nonnihil adijciens, quod medicamentum calefactum securè applicato. Quod si frigidum potius morbi natura postulauerit, palmularum carne, & modico pane madefacto excipies, ac frigida appones.

Vltimum dolori incumbens ponit, dicens. Fraxini arboris praeterea folia molliuscula in aqua elixata, deinde trita, & calida apposita dolores maleficos leniunt, & si fotu etiam ex eorum decocto assiduè vtamur, discutiunt quoque.

Pro mollitiuo, & resolutiuo vtitur semine irionis cum aesypo, & mulsa; postea ad vlcerarum cancrum deuenit. At ne quis in arte tyro inexercitatus quantitatem ingredientium nesciens, formam destruat medicaminum ab eo recitatorum, ego eorum receptas ponam.

Recipe radicum symphiti, plantaginis foliorum, coquantur in suis aquis, & conterantur ana lib. s. & adde panis contriti, & ex decocto dicto moliti vnc. 4. terantur simul, & cum decocto illo fiat emplastrum lene, & leue, ne contundat vel grauet, quando tritar, & dolere facit, & hoc initianti cancro apponatur.

In augmento, & dolori resistendo.

Recipe foliorum rosarum, papaueris ana vnc. 4. meliloti vnc. 2. vitellorum ouorum numero quatuor, olei rodini vnc. 2. passi, & aquae plantaginis ana quantum sufficit, fiat emplastrum.

Vel recipe foliorum altheae coctarum in aqua solatri lib. vnam, panis tritici, & in supradicto decocto libr. s. terantur simul, & fiat emplastrum.

Vel plantaginis, capitum papaueris cum seminibus suis, semen psilij ana vnc. 4. arida terito in passo cretico. Quibus adde dactilorum pinguium, adipis anserini ana vnc. 3. calidum applicato.

Si mauis frigidum adde prædictis panis humidisſimi, & madefacti in paſſo cretico vnc. 4. & frigidum applica ſi feruet cancer.

Vel fiat fotus ex cathaplaſma cum folijs fraxini ebullitis in aqua, dolorem ſedat, & augeri prohibet.

In ſtatu.

Recipe ſeminis heriſmi æſypi ana vnc.3. olei rodini vnc. 2 miſce fiat emplaſtrum duriuſculum, & tumori reſiſtens cum aqua mulſa coquatur.

In declinatione.

Heriſmi ſemen in mulſa decoctum apponito, & miraberis.

TERTIA PARS NOVAE CANCRI exulcerati curationis.

DOCET quamprimum placidisſima debere eſſe advlceratos epithemata.

Initianti.

Recipe ſpodij Cyprij loti, & ſiccati, plumbi vſti, & loti, ſucci roſarum ana vnc.4. olei roſati parum, fiat vnguentum.

In Aug.

In Augmento:

Recipe rhu confectorum corii sextarios duodecim, pillularum cupressi libram vnam, gallarum immaturarum, cassię ligneæ ana vnc. 6. misce omnia confringantur in vini adstringentis, & odorati, & antiqui sextariis 30. in quo tribus diebus madefiant, & vsque ad tertiam, aut quartam ebullitionem spatula cupressea versando elixato: deinde vbi omnia diligenter expresseris, & abieceris succum illum ad mellis spissitudinem coques, & in vase vitreo seruato.

Si durescit vino emollito, si demulcere intendis lac adde, & vtere.

In statu duo hac fiant:

Primum tumori, & vlceri prospicit, quod recipit litargyrii adipis porcini recentis, ceræ albæ ana libram vnam, olei ricini lib. 6. vitellorum ouorum assatorum numero duodecim. Cum moderata quantitate aquæ litargyrii terito: deinde aliquid olei infundito, & vitellos ouorum commisceto cum adipe purgata in mortario terito, & cum cera misceto, & reliquum olei adiicito, & parum coquito, vtere cum rosaceo in molli lana excepto.

Si verò vlcus dolore caruerit, adiicito iridis, myrrhæ, aristolochiæ ana drac. 3. & vlceratis iuuat.

Secundum ad vlceratos tantum.

Recipe ceræ albæ, terebinthinæ, adipis taurini, medullæ vitulinæ recentis, iricinini, & rosacei olei nouorum adipis anserinæ recentis, mellis electi, thuris, marchesitæ vstæ ana vnc. 1. æsypi triplum, misce. Diphriges ex vino terito, sicut thus, ambo sint arida, & cæteris liquefactis commisceto, postea mel addito, blandum erit vlceratis cancris medicamen, vel herismi semen cum mulsa coctum, & tritum.

In de-

In declinatione.

Recipe theriacæ vnc. 1. lactis, & rosacei ana vnc. s. vel theriacam ex passo tritam, & cum lana vtitor.

Notandum pro conclusione.

Quòd interdum concoctoriis vtendum est, vt ex althea, vel ex floribus eius, aut ex mastiche, quæ omnia infra scribentur.

Item à medicamentis suprapositis non opus est desistere, donec vniuersa durities deleatur, despicientes Medicos subsannatores, qui affectionis huius naturam veneficam minimè norunt.

MEDICAMENTA TRIA CONCOCTORIA.

Primum ex cortice radicum altheæ virentis.

Recipe corticum radicum altheæ minutim incisorum, & asperforũ, & contusorũ in mortario ex vino vetusto odorato adstringente per triduum madefactorum, vt tantum humescant; quarta die in pila rursus contundito, & succum torculari exprimito, & sume colophoniæ vnc. 24. ceræ vnc. 4. olei eruginis ana vnc. 3. succi prædicti vnc. 20. colophoniam cum oleo liquesca, & transcolatam placido igne piceis lignis incensis thedacea spatula versato decoquito, quousque in aquam instillata solidior euadat, deinde ceram adiicito

colli-

eo liquata ollam ab igne remoueto, & vbi refrigeratum fuerit, succum paulatim infundito diligenter, obseruando ne efferuescat: facilè enim intumescit vt ab olla effundatur, vbi verò constiterit rursus igni admoueto, posteaquam incaluerit eruginem immittito, tollitoque ab igne, & refrigerato quod manibus subjcito, vt exquisitè vniatur.

Secundum ex floribus althea.

Recipe florum altheæ contritorum vnc. 12. colophoniæ vnc. 36. ceræ vnc. 6. olei vnc. 2. omnia simul misceantur, & manibus contrectantur.

Tertium ex mastiche.

Recipe colophoniæ lib. 1. ceræ vnc. 6. ammoniaci odorati vnc. 4. masticis, galbani, terebinthinæ ana vnc. 2. omnia simul colliquato, & transcolato, & in frigidam aquam imponito, manibus subijcito, & vtere.

Interdum hæc tria rosaceo, interdum lacte commisceto, interdum melle admisto vtitor.

Et sic suam nouam cancri curam perficit, cuius omnis vis recondita stat in aduersando venefico humori cum alexiterijs intro, & extra admotis, sicuti in elephanticis, quibus alexiteria auxiliantur, & eos in sanitatem restituunt: nam cancer elephantiasi assimilatur, vt nunc probare intendimus, ergo eadem cura curantur.

De similitudine, quæ est inter cancrum, & elephantiasim.

Assimilantur nomine, quia ambo (vt Paulus in 4. cap. de ele-

elephantiasi) dicuntur cancri, & ambo elephantiasis appellantur, sed differunt quantitate loci, quare cancer membrum vnum tantum occupat, elephantiasis autem totum corpus corripit.

Assimilantur materia, quia vtriusque materia est eadem, cùm sit atra bilis in ambobus.

Assimilantur definitione, quia sicut elephantiasis est morbus atrabilarius insanabilis, defedans vniuersum corpus, mala intemperie conformatione, solutaque vnitate. Sic cancer est morbus atrabilarius insanabilis, defedans partem aliquã intemperie conformatione, & soluta vnitate: Ergo simillimi.

Quòd sint idem probatur.

Aris. 1. Topic. asserit, eadem numero esse ea, quorum nomina plura sunt, res autem vna; vt tunica, & vestis, quæ idem sunt, sed nomine tantum differunt: pariter & cancer, & elephantiasis: nam vnus dicitur cancer, alter elephantiasis.

Quod sint eadem specie probatur.

Ea sunt eadem specie quæ cùm sint plura indifferentia, tamen secundum speciem suam idem sunt, vt cancer, & elephantiasis, quę sunt species morbi atrabilarij, tamen morbus est vnus, scilicet atrabilarius nominatus cancer, vel elephantiasis, differentes tantum occupatione loci, nam alter totum, alter verò partem corripit.

Quod sint eadem genere.

Genere eadem sunt ea, quæ sub eodem genere continentur; cancer & elephantiasis ambo sub eodem genere tu-

morum præter naturam continentur: Ergò sunt eadem.

Vltimò non sapiunt naturam diuersi, quia materia eadem est deformitas eadem: ergo idem sunt: ergo ambo curabuntur eodem ex viperis medicamento. nam tale medicamentum ex esu, & potu viperarum factum per sudorem vniuersam materiam vtriusque ad cutim pellit, & more exuuij serpentis expoliatur cutis, simul cum humore malo, & fit caro eorum, vt caro pueri. ergo apprimè vtile est.

De viperinis carnibus edendis, & bibendis.

Galenus 11. simplicium, capite de carne viperina sic ait, Carnes vel sunt homini tantum destinatæ ad esum, vt sunt illæ, quibus continuò vescimur; vel ad perdendum tantum, vt sunt carnes viperinæ non præparatæ; vel medicatrices tantum, vt sunt carnes viperinæ præparatæ.

Præparationis modus.

Decapitentur post eorum cum virga instigatione, denudentur, euiscerentur, excorientur, aqua salita abluantur, subinde vino odorato iterum lauamus, subinde in anguillarum modo coquendas tradimus, imponentes in ollam cum m. 1. porrorum incisorum, & drach. 1. aneti olei vnc. 2. salis pusillum aquæ quantum sufficit coquantur ad spinæ laxationem.

Pastilli.

Ex viperarum coctarum, & contritarum partes duæ, & tertia pars panis biscocti attritissimi.

Vſus carnium.

Comedat æger carnium viperarum, vt ſupra coctarum vnc.3. cum ſcutella dimidia decocti pro potu cum pane, & ſuperbibat ſemiciatum vini odorati, & asſiduetur talis vſus dum cutis intumeſcere reperitur:dumque ſenſus perturbatio initietur,tunc deſiſtatur,quare tunc opus ſuum per ſudorem exercet & finit.

De pluribus formis veſcendi & bibendi eas.

Multiformes eſus, & potus ſunt modi, quorum primus eſt, vt coquantur viperæ vt ſupra, & ſimul cum frumento, aut milio, aut furfure alantur eis capi, vel pulli, & cætera huiuſmodi animalia, donec deplumentur, & ſubinde eis alantur cancroſi donec cutis totius corporis intumeſcat, & ſenſuum perturbatio incipiat, & tunc deſiſtatur; ſed tunc cum fit plumarum regreſſus, & ex talibus carnibus aſſis edant, & bibant illorum ius.

Vel in iure illo albo viperarum coctarum anguillarum modo elixentur capi, pulli, aut alia ſimilia animalia, & hæc comedant, eorumque ius bibant.

Vel recipe carnium viperarum coctarum (vt anguillæ) cum pullis donec ſpinæ, & oſſa à carnibus ſeparentur, & ſimul terantur, & cum ſufficienti quantitate ſacchari fiat confectio in morſellis.

Vel fiat ſapor in hunc modum ex carnibus earum coctis cum amygdalis depilatis, & poſtea attritis omnibus commiſceantur cum ſucco citri, & fiat ſapor ex quo in menſa cum alijs cibis æger comedat.

Vel accipiantur viperæ quatuor madefactæ in vino odorato, & diſtillentur, cuius diſtillationis dentur vnc.4. mane, & ſero.

Vel

Vel fiat electuarium ex carnibus viperinis coctis in vino maluatico non dulci, & conterantur, & adde conseruæ scordei ana vnc. 1. syrupi de pomis, & de succo citri ana quantum sufficit fiat electuarium, cuius dosis est vnc. 3. pro vice summo mane.

Vel fiat syrupus sic, recipe iuris albi lib. 1. sacchari q. s. fiat syrupus.

Vel accipiantur trocischi viperini drach. 2. aquæ scordij vnc. 4. fiat syrupus summo mane bibendus.

Potus autem sit talis, videlicet cum esus eis sit infectus.

Accipiantur viperæ tres paratæ, vt diximus, quæ infundantur in vini aromatici lib. 40. & in diplomate coquantur ad carnium à spina separationem, postea coletur, & cum bibendi instat occasio, ex eo accipiantur vnc. 4. cum tantundem vini odorati, & sic in prandio, & in cœna accipiat.

Vel accipiantur tres viperæ, & ponantur in sacculo linteo paratæ semper, vt diximus, & in mastello vini misceantur, ibiq; relinquantur ad earum marcescentiam, de quo mane, & sero dum comedit, bibat.

Vel in vini mastello vno quatuor viperæ suffocentur, & de eo bibat dum à sudore cutis intumescat excidat, ac sensuum perturbatio incipiat.

Vel accipiatur salis theriacalis drac. 1. aquæ hordei vnc. 4. misce pro syrupo summo mane accipiendo.

Sal theriacale magistrale.

Recipe pastillorum viperinorum siccorum vnc. 6. salis cremati vnc. 3. scordei, spicæ ana vnc. 1. s. misce, & detur ex eo drach. 1. pro vice, & superbibat ciatum aquæ oxalide.

Alter theriacalis modus est iste, qui recipit radicum veratri nigri concisatum libr. 1. succi brasficæ quantum suffi-

cit ad infusionem earum, & Soli exponantur, & ter siccentur, & ter ponentur, & postea in tenuissimum pollinem reducantur, quibus superinfundito vini odorati albi quantum sufficit ad earum infusionem, & per triduum pistentur, & postea cum scordei recentis manipulis duobus simul contundantur, & conterantur, & destillentur per retortam. Hæc enim aqua & intro, & extra vsurpata, cancro erit vtilissima.

Item si septies radices hellebori madefeceris in succo caulium, & exiccaueris vltimo maluaticum suffundito, vel aquam citri, vel scordei, & siccaueris. Hic puluis optimus est ad cancri passionem & rebellionem, si leniter ex eo tegatur.

Thopica.

Recipe aquæ distillatæ ex viperis lib. I. ex qua filamenta, & lintea madescant, & apponantur.

Vel recipe carnium viperinarum coctarum cum citro ad amborum flacescentiam lib. I. terantur, aspergendo non nihil decocti eorum facti in aqua scordei, & fiat linimentum.

Vel eius iure albo per petias applicito, & medeatur.

Vel accipias viperas præparatas numero quatuor, nucis contritæ, & rutæ cum caricis, & modico salis, coquantur omnia simul, & distillentur, & aqua sit aqua scordei, in qua coquantur.

Ex fæcibus exiccatis fiat puluis cancro non inutilis.

Et præcipuè si radix serpentariæ cum cæteris addatur.

Vel accipiantur viperæ quatuor, salis amoniaci quantum sit media pars earum, & caricarum pinguium contritissimarum ad pondus omnium dictorum, mellis electi vnc. 6. ponantur in olla obturata in furno panis dum incinerescant, & terantur subtilissimè, & adde tertiam partem sac-

chari

chari puluerizati, & decimam pulueris ſpicæ, quo pro be-zoar in cibis vtatur, & cum vnguento etiam commiſceatur.

Vel accipito tres viperas, & bulliant in tribus libris o-lei noſtratis cum citro vno minutim inciſo, & cum aqua hor dei, vel cetrach, & cum duodecim ranis, & cum quatuor pomis apijs per petias applicato, & oblinito, & eſt anodinum.

Ex homine duo pharmaca.

Primum, accipe de ſanguine duorum iuuenum ſanorum, & optimè nutritorum libr. 2. quo refrigerato ſupernatantem ſerum proijcito, & reliquum in vaſe vitri obturato putrefactioni in phimo mandato, poſtea diſtillato, ex qua aqua per potum, & per petiam exhibeto, venenis intus, vt omnibus extra natis auxiliatur, & omni intemperiei valet.

Vel accipe ſtercoris humani ex puero ſano, & benè nutrito facti libras quatuor fiat puluis, & in retorta ponatur, & per petias applicatur diſtillatum, & bibitur etiam contra omne venenum.

Puluis mirandus & per intus, & per extra exhibitus cancri malignitati reſiſtens.

Recipe auri, & argenti foliatorum ana vnc. s. lapidis bezoar vnc. 1. pulueris cancrorum marinorum vnc. 1. s. miſce, & cum

& cum volueris applicare, tere puluerem, ex aqua ſcordei, & in linimenti formam redige, & applica.

Finis ad laudem Omnipotentis Dei, qui ſit bene dictus in ſæcula. Amen.